





1
7
241









JOHANNIS ZEISOLDI

De

Aristotelis in illis, quæ ex lumine Naturæ innotescunt, cum Scriptura Sacra

CONSENSU,

ab eaque apparente

DISSENSU,

TRACTATUS

In duas partes distributus.





JENÆ
Typis JOHANNIS NISII,
Anno M. DC. LXI.







Plurimùm Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo, Clarissimoque

VIRO

DN. MICHAELI WENDLERO,

Philos. & SS. Theolog. Doctori,

& in Inclyta Leucoréa Moralium Professori P. celeberrimo,

Domino, Affini, Fautori atq; Amico multis nominibus colendo, plurimùmque æstimando,

SAL. PLUR.

NIcostratum, non incelebrem suæ ætatis, antiquitati si credimus, pictorem, alicui ex se quærenti, cur Helenam Ζευxidis tàm vehementer suspiceret & admiraretur, hanc responsionem, *Non interrogâsses, meos si habuisses oculos*, tulisse referunt. Quâ tantam Zeuxidis in pingendo peritiam fuisse innuit, ut penicillô suo quidvis egregiè imitari, vivisque coloribus

res omnes, mirificè animum ac oculos inſpicientis paſcentes, ita exprimere potuerit, earum naturam non modò ut adæquare, verùm etiam ſuperare viſus fuerit, quam tamen talismodi artis rudes attendere atque obſervare haud valerent. Hac argutâ Nicoſtrati reſponſione quærentibus, cur acutam maximi Philoſophi, iſte autem eſt Ariſtoteles, indolem nonnulli ſummoperè admirentur, non immeritò ſatisfieri poſſe arbitror; *Si videlicèt eorum, qui Philoſopho huic dediti ſunt, oculos haberent*, atque in eo, quæ alii vident, etiam ipſi obſervarent, *vix interrogare præſumerent*. Quotquot enim ſunt, qui Eruditorum Ordini adſcribi ſe geſtiunt, & vel nunquam, aut, ſi ſemel forſan contigit, per tranſennam ſaltim hujus noſtri Ariſtotelis inſpexerunt ſcripta. Indignum Virô Philoſophô factum! Hinc ex hac ignorantiâ tot querelæ, tot in Pholoſophũ, præpoſterô eruditionis judiciô, oriuntur injuriæ. Ego ſanè non diffiteor, quamprimùm Ariſtot. Noſtri ſcripta, jucundiſſima quippe, ac omnigenâ eruditione divinâque ſcientiâ

refertiſſima, primoribus ſaltim labris deguſtare incepi, majorem ſtimulâſſe eſuriem, illiusque vehementiori exarſiſſe deſideriô: hinc & ſemper ea, dulciùs imò & puriùs ex ipſis fontibus, quàm ex rivulis, hauriri aquam, menti inſedit ſententia. Quam Studioſæ Juventuti ut infunderem, meiq́ue inſimul jucundam relinquerem memoriam, præſentem iſthunc Tractatum, ex Ipſis fontibus Ariſtotelicis, ſponte quidem ſuâ inde dimanantem, derivavi, eiq́ue jam ultimas, divinâ adſiſtente gratiâ, manûs impoſui.

Mihi autem, cujus Nomini, pro more, qui hactenus inter eruditos obtinuit, hunc meum Tractatum de Conſenſu Ariſtotelis cum Scriptura S. inſcriberem, cogitanti, optantive, talem ut inveniam, qualem non ſolùm animus meus, ſed & ipſe Tractatus expectare atque poſcere videatur, (poſcit autem Virum qui planiùs ac exploratiùs novit Ariſtotelem) celebre D. MICHALIS WENDLERI Nomen incidiſſe, lætus animadverti. Tibi enim, Dn. Affinis atq́ue Fautor honorande, velim

lim persvadeas, me non latere, Te antiquæ Isti Peripateticorum Philosophiæ deditum, Magni illius & Theologi & Philosophi, Jacobi Martini, Insignis, in vivis dum esset, Aristotelis sectatoris, Ejusdemque felicissimi Interpretis, vestigiis tenaciter adhærere. Rem boni ominis esse auguror, me mei animi votô atque desideriô non excidisse.

Hunc itaque Aristotelicum fœtum, Clarissime Vir, serenâ fronte tolle, ejusq; curam in Te suscipe. Te autem suscepturum fore, mens præsagit. Non verò volo, ut aut in Aristotelis, aut in mei gratiam aliquid dicas judicesve; aliud enim sentire, aliud loqui non est Viri Boni. Obtineatque hîc, quod noster *Arist. I. Ethic. c. IV.* præcipit, *sanctum esse*, inquiens, *amicis in honore veritatem anteponere.* Liberè igitur, quod res ipsa, ac sancta jubet veritas, pronuncia. Ad melioris rationis trutinam appende, Aristotelica Scripta quâ doctrinâ, quâque abundent & scateant sapientiâ. Ab aliis enim potiùs, quibus incumbit, quid conferre possit lectio Aristotelis iis, saniori

qui

qui ſe conſecrârunt Philoſophiæ, quàm à me, enuntiari malo. Manifeſtum aliàs eſt, & inter omnes conſtat, neque hoc impudentiſſimus negare auſit, potiſſimam partem rectè Philoſophantiū ſcientiæ Illi ſuos debere Natales. Annon itaque peſſimè ſibi proſpiciunt, qui Ariſtotelē, ſi non penitùs ex ſanioris Philoſophiæ territorio proſcribunt, ad cognitionem tamen atque ſedulam lectionem admittere recuſant, hâcque jejunâ ac ruris plenâ ſententiâ, craſſam ſuam ignorantiam produnt, ſeque doctioris orbis ludibrio, magnô ſuo exponunt malô.

Sed me comprimam, nec Te, Vir Clariſſime, ulteriùs detinebo. Nam, uti ajunt ſana ſentientes apud Arnobium, *contradicere rebus ſtultis, majoris eſt ſtultitiæ.* Votorum hoc eſt faſtigium, Clariſſime Vir, ut, Te florente, ſanior Philoſophia Ariſtotelica floreat, Te virente, vireat, Te vigente, vigeat, &, quanquàm jam ubique terrarum laudem ampliſſimam eſt adepta, Te tamen ſtante, longè ampliorem laudis & gloriæ celebritatem adipiſca-

4/0

ſcatur. Hiſce Te cum Tuis Divinæ tutelæ commendatum, jubeo quàm diutiſſimè valere, atque Tuum ulteriori favore proſequi

Dab. è Muséo ipſis Calendis Septembris, anno æræ Chriſtianæ: 1661.

JOHANNEM ZEISOLDUM.

Nomina Reſpondentium:

I. HENRICUS Crell/ Altenburgô Miſnicus.
II. JOHANNES HANSELI, Nicopolio Hungarus.
III. WOLFGANGUS SCHLEGELIUS, Werdâ-Miſnicus.
IV. M. JOHANNES WOLFGANGUS EBERUS, Byrutho Francus.
V. STEPHANUS Stör/Viſchbachio-Noricus.
VI. ANDREAS Schilling/ Hammelburgenſis Francus.
VII. M. JOHANNES GEORGIUS SIDELIUS, Microneuhuſa-Thuringus.
IIX. M. CHRISTIANUS ESCHENBACHIUS, Leheſtenſis Thuringus.
IX. WOLFGANGUS CRUGIUS, Coburgô-Francus.



Bono cum Deo!

De

CONSENSU ET DISSENSU ARISTOTELIS CUM SCRIPTURA SACRA.

DISPUTATIO PRIMA.

Parasceve.

§. 1.



Onsensum Aristotelis cum Scriptura Sacra ostensuri, quædam ad hanc rem scitu & observatu necessaria præmittere tenemur, utpote sine quibus labor hic felici cum successu suscipi non potest; præcipuè quòd Scriptura Sacra plurimam sui partem de talibus est, quæ Aristoteli planè fuêre incognita, ut is, qui consensum ipsius (vel, scriptorum aut dogmatum ejus) cum Scriptura Sacra ostendere velit, frustrà esse videatur.

§. 2. Monendum ergò ante omnia, quòd, quia *duplices res* sunt, quæ in Scripturis Sacris proponuntur; nimirum *partim* sunt res fidei, adeoque divinæ revelationis; *partim* sunt res naturæ & naturalis rationis; ideò *duplicis* quoque generis sunt illa, in quibus Aristoteles vel consentire cum Scripturâ Sacra, vel ab eâ dissentire dicitur; *aut* sunt res, quæ transcendunt naturale intellectus lumen, & non nisi per revelationem divinam cognoscuntur, quales sunt e. g. conceptio & nativitas Christi, resurrectio mortuorum, &c. *aut* sunt Not. 1.

res naturâ notæ, naturalique adeò intellectus lumini ſubjectæ, cujusmodi eſt (1.) *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ*, *Rom. 1. v. 19.* (2) *ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις ἀνθρώπων*, *Rom. 2. v. 15.* & quæ ſub utroque hoc rerum genere comprehenduntur.

§. 3. Nunc facilè eſt judicare, in quibus Ariſtoteles concordare cum Scripturâ Sacra dicendus, in quibus non. Nimirum non eſt negotium de illis, quæ fidei, adeoque ſpecialis revelationis, ſed de illis, quæ rationis ſunt, & à naturali intellectu percipi poſſunt. Prioris enim quæ ſunt generis, ea Ariſtoteles non habuit cognita; imò talia ad ipſum, ut Philoſophum, ne ſpectârunt quidem. Quod utrumque ut pateat clariùs ſciendum, Ariſtotelem, quantum ad hoc, dupliciter conſiderari poſſe. 1. ut hominem gentilem; 2. ut Philoſophum. Utrovis modô Ariſtotelem conſideres, nullum conſenſum, uti nec diſſenſum in rebus fidei prætendere potes. Etenim (1.) Ethnici caruêre SS. literis, adeòque illa, quæ inibi revelata extant, cognita habere non potuerunt. At verò Ariſtoteles fuit Ethnicus. Er. &c. (2.) Imò deinde Philoſophum, ut quidem Philoſophus eſt, myſteria fidei fugiunt; quomodo ergo in illis vel conſenſum, vel diſſenſum profiteri poteſt? Ariſtoteles verò fuit Philoſophus, & ut Philoſophus ſcripſit. Er. &c. Hinc denique; quia Ariſtoteles nil quidquam de ullô tradit fidei myſteriô, quomodo ergo vel conſentire Scripturis Sacris, vel diſſentire ab illis, quà talia dicendus eſt? qui de re aliqua tacet, vel, qui nihil de re aliqua dicit, aut dicere habet, quomodo affirmare, aut negare quidquam de ea dicendus eſt?

Not. 2. §. 4. Deinde, diſcrimen eſt obſervandum inter Scripturam Sacram ejusque Autorem & Autores profanos; vel, inter res in Scripturis per ſanctos Dei homines revelatas, & res naturâ cognitas, atque à Philoſophis propoſitas, quòd ibi autoritas dicentis, hîc verò natura objecti reſpicien-

cienda sit. Inquam: In Sacris respiciendum est ad dicentem; hîc enim locum habet τὸ αὐτὸς ἔφα, quod non habet locum in scriptis hominum, ubi non videndum, quis dicat, sed quid dicatur. Hinc Deo in Scripturis S. S. loquenti simpliciter creditur; homini verò, in quantum id, quod dicit, consentit cum rectâ ratione, & congruum est naturæ objecti, de quô negotium est & tractatio: Inde propositio: *Quidquid Deus in Scripturis Sacris dicit, illud infallibiliter verum est;* non verò; *quidquid Aristoteles (aut Plato) dicit, illud verum est.* Nec autoritas humana hic obtrudi potest; habetque hîc locum illud tritum: *Amicus Plato; amicus Aristoteles; sed magis amica veritas.*

§. 5. Hinc porrò tertiò, quia, quantum ad illa, quæ ab Autoribus profanis dicta aut scripta fuêre, veritas non à dicentis autoritate, sed ab objecto dependet, ideò perinde est, sive Christianus dicat & profiteatur, Deum esse, ipsum esse æternum, omnipotentem &c. sive dicat paganus & infidelis; dicit enim uterq; id, quod res est, adeoq; verum. Cui rei lux accedit ex *Rom. 1. v. 18. & 25.* ubi gentiliũ *notitia de Deo*, quam ex visibilibus mundi creaturis hauserunt, vocatur *veritas.* *Not. 3.*

§. 6. Notandum quartò, sufficere, si in Scripturis res nudè proponantur, quamvis inibi non exponantur, aut modus (vel essendi, vel agendi) explicetur; sicut videmus quoque res Philosophicas ab Aristotele breviùs & concisiùs esse propositas, quæ uberiùs in Interpretum commentariis, aut in suis Disciplinis explicata inveniuntur. Sic (1.) explicatio rerum sacrarum in Disciplina Theologica traditur; sic (2.) explicatio rerum Physicarũ, quæ in Scripturis Sacris occurrunt, ad Physicam amandatur. Et sic in reliquis. Unde quamvis non definiat Scriptura Sacra; definiendi tamen materiam suppeditat; quamvis non argumentetur, consequentiam tamen argumentorum continet & clargitur. Si- *Not. 4.*

mile judicium est de Aristotele & Aristotelicis doctrinis.

Not.5. §. 7. Notandum quintò, *dupliciter* aliquid tùm in Scriptura Sacra, tùm in Aristotele (in Arist. scriptis) contineri: *vel* expressè & κατὰ τὸ ῥητὸν, *vel* implicitè & κατὰ τὴν διάνοιαν, ut nimirum per legitimam consequentiam inde deducatur. Non est necesse, quascunque materias sive doctrinas expressè contineri vel in S. Scripturâ, vel in Aristotele; sed satis est, si lateant, & per bonam consequentiam inde deduci possint.

Not.6. §. 8. Observandum sextò, quòd quilibet scriptor, sive è sacris ille sit, sive è profanis, suâ peculiari gaudeat phrasi & modô loquendi. (Intelligendum autem hoc de phrasi in illa Lingvâ, in qua Autor scripsit.) Sic aliam deprehendis phrasin in Jobo, aliam in Davidis Psalmis. Et differentia hæc cumprimis elucescit, si Esaiam cum Amos conferas. In Novo Testamento conferatur Marcus, qui Hebraismis delectatur, cum Luca, qui puro hellenismo magis addictus, ac cœteri Evangelistæ. Similiter Aristoteles suâ peculiari gaudet phrasi, ut exinde genuinos ejus libros cognoscere valeas. Sic ex indole phraseως Aristotelicæ cognosces & judicabis, Librum de Mundo reverà esse fœtum Aristotelis, ut frustrà illi sint, qui de eo dubitare præsumunt.

§. 9. Denique, quia Aristoteles non solùm in multis doctrinæ capitibus Scripturæ S. consentit, verùm quoque in aliquibus ab eadem dissentire videtur; ideò non solùm in ostendendo consensu; verùm quoque dissensu tollendo, & genuinâ Aristotelis doctrinâ explicandâ σὺν Θεῷ occupati erimus. Ut duo hujus Tractationis partes constituendæ sint; una de Consensu Aristot. cum Scriptura S.; altera de Ejus dissensu ab ea.

TRA-

TRACTATUS PARS PRIMA.

In qua

Consensus Aristotelis cum Scriptura S. exponitur.

§. 1.

CUm vero multæ doctrinæ cum' Scriptura S. concordantes in Aristotele inveniantur, & sub distinctis titulis tractandæ veniant, partiemur eas, & in sequentia capita distribuemus. Primò erit *Theologia* Aristotelica; deinde *Cosmologia* Aristotelica; tertiò *Anthropologia* Aristotelica; quartò *Psychologia* Aristotelica; quintò *Ethologia* sive *Ethica* Aristotelica. De quibus jam ordine.

SECTIO I.

Theologiam Aristotelicam cum Sacra S. consentientem exhibens.

§. 2. Ut hoc commodè fiat, distincta ponemus Theoremata, illisque tùm Scripturæ, tùm Aristotelis de Deo sententiam iucludemus. Sit ergo

THEOREMA I.

Deum esse, naturaliter (ex visibilibus mundi creaturis) notum est.

§. 3. Naturaliter s. naturali intellectus lumine videri & cognosci Deum, Scriptura S. non uno in loco docet. Præcipuè *Rom. 1. v. 18. & 19.* ubi tradit Apostolus, quòd gentibus quædam de Deo notitia revelata fuerit. Ita habent verba Apostoli: γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. Additque (1.) rationem, ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσεν. Addit (2.) modi explicationem, quomodo sc. notitia Dei manifesta facta fuerit gentilibus; τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. ἥ τε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. h. e. invisibi-

lia ejus tùm ex rebus conditis intelliguntur & creatione mundi perspiciuntur, æterna videlicet ejus potentia & divinitas. Adde *Psal. 19. v. 2. Sapient. 13. v. 1. Job. 12. v. 7. & seqq. Act. 14. v. 14. & seq. Act. 17. v. 25. & seqq.*

§. 4. Eandem viam Deum, cognoscendi monstravit nobis Aristoteles, eodemque modô, quo in Scripturis Sacris, eam indigitat, dum *in libr. de Mundo c. 6. post med.* scribit: διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται. τὰ γὰρ πάθη, καὶ τὰ δι' ἀέρος ἅπαντα, καὶ τὰ ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἐν ὕδατι, θεοῦ λέγοιτ' ἂν ὄντως ἔργα εἶναι τοῦ τὸν κόσμον ἐπέχοντος. h. e. *quapropter cum (Deus) sit inconspicabilis naturæ omni interituræ, ipsis nihilo secius cernitur ab operibus. Atque ea quidem quæ in aëre fiunt quoquo modô affecto, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera esse meritò dixerimus; Dei, inquam, opera, cum imperio summo mundum ac pro potestate obtinentis.*

§. 5. Lux huic dicto accedit ex *d. c. 6. initio*, ubi Deo totius mundi, omniumque, quæ in mundo sunt, operum, per quæ conspici & cognosci voluit, ortum & constitutionem tribuit Philosophus, dum ita scribit: ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν. οὐδεμία δὲ φύσις, αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας. h. e. *Vetus igitur sermo est, à majoribusque proditus inter omnes homines, universa tùm ex Deo, tùm per Deum constituta fuisse atque coagmentata: nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra Dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit.*

§. 6. Ex hisce tàm Scripturæ Sacræ, quàm Aristotelis dictis ita colligere possumus: Si sunt Dei opera, erit quoque ipse Deus; siquidem effectus necessariò supponit causam. Sed tàm juxta Scripturam, quàm juxta Aristotelem, sunt Dei opera. Er. Necesse est esse Deum, qui ista operatus fuerit.

THE-

THEOREMA II.

Naturalis hæc Dei notitia acquisita est, non innata.

§. 7. Hoc assertum ex allatis tàm Scripturæ, quàm Aristotelis dictis probamus ita: Quidquid naturaliter non nisi ex visibilibus mundi creaturis cognoscitur, illius notitia acquisita est, non innata vel congenita. Sed Deus naturaliter non nisi ex visibilibus mundi creaturis cognoscitur. Er. &c. Major est indubia; Minor ex Scriptura S. patet, & ex Aristotele. Quà illam, conjungamus cum *Rom. 1. v. 19.* locum *Act. 17. v. 26. & 27.* Hîc dicitur, quòd Deus creârit & sustentet homines ad inquirendum de Deo, ut palpent, & inveniant eum, sanè non procul à quoquam nostrûm distantem; In illo dicitur cognitio Dei manifestata esse Gentilibus. Quæ enim Dei invisibilia sunt, ut ejus æternitas, potentia, divinitas &c. cognoscuntur ex operibus. Alium modum naturaliter cognoscendi Deum, vel naturaliter perveniendi in notitiam ejus, nullibi monstravit, vel docuit Scriptura Sacra.

§. 8. Quantum verò ad Aristotelem, ille quoque nullam aliam notitiam agnovit, nullam aliam docuit, præterquam acquisitam, sive eam, quæ beneficiô sensuum acquiritur, uti *in Dissert. de Notit. Naturalibus* fuit ostensum. Docet enim Aristot., intellectum esse instar nudæ tabulæ, in qua nihil descriptum, *in l. 3. de An. c. 4. text. 14.* & nihil esse in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu, *d. l. 3. de Anim. c. 8. text. 39.* Conf. *l. 1. Metaphys. c. 1.* ubi docetur, visum maximè inter omnes sensus facere, ut quidquam cognoscamus. Ut proinde, juxta Aristotelem, omnis nostra notitia incipiat à sensibus. Sic Deum per opera sua cerni & cognosci docet.

THEOREMA III.

Aristoteles eodem præprimis nomine, quô Scriptura Sacra, utitur, & vocat DEUM, quem omnes Christicolæ, ex manuductione Scripturæ S., vocant.

§. 9. DEI nomen tùm apud Græcos Sacri Canonis Scriptores, tùm apud Aristotelem est Θεός, apud Latinos *Deus*, apud Germanos Gott. De Scripturis res certa est, & satis nota. De Aristotele constat ex Theor. I. Quibus locis addi possunt *lib. de Mund. cap. 6. & 7.* ubi sæpè vox *Dei* ponitur. Utitur eadem *l. 1. Metaphys. c. 2.* item *l. 12. Metaph. c. 7. text. 39.* Sed hac de re satiùs constabit in sequentibus.

THEOREMA IV.

Alia nomina DEI *apud Aristotelem cum Scripturis Sacris convenientia.*

§. 10. Notamus verò ante omnia, *nomina Dei* esse duplicia; *generalia*, quæ ex generalibus Dei operibus, hoc est, ipsam Naturam & creaturas Mundi attinentibus, desumuntur, & quæ ad γνωστὸν τοῦ θεοῦ (*Rom. 1. v. 18.*) spectant; *specialia*, quæ ex aliquâ speciali ratione attribuuntur Deo, qualia sunt, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus Israël.* &c. Prioris generis, non posterioris nomina hîc ex Aristotele quæruntur.

§. 11. Arist. *d. l. de Mundo cap. 7.* totus in eo est, ut varia Dei nomina recenseat, eaque *vel* à communione, quæ Divino Numini cum rebus intercedit, (ἀπὸ τῆς πρὸς πάντα κοινωνίας) *vel* ab affectibus, quorum specimen edere ipse solet, derivet. (κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ, l. d.) Nimirum *conveniunt summo Nomina ritè Deo.*

§. 12. Inter varia autem illa, hæc quæ sequuntur, sunt celebriora, quòd vocatur Ζεύς, *Jupiter*, à verbo ζῆν, vivere, utpote δι' ὃν ζῶμεν, per quem vivimus: ἀστραπαῖος καὶ βρονταῖος, καὶ αἴθριος καὶ αἰθέριος, κεραύνιός τε καὶ ὑέτιος; i. e. *Fulgurator, Altitonans, Ætherius, Fulminator* & *Pluvius*, à pluviis atque fulminibus, aliisque operibus, è quibus vocabula ipsa deducta sunt: καὶ μὴν ἐπικάρπιος, ἀπὸ τῶν καρπῶν, σωτὴρ καὶ ἐλευθέριος, *frugipotens, servator* & *assertor.* Et ut semel omnia com-

complectatur Philosophus, (ὡς δὲ τὸ πᾶν εἰπεῖν) οὐράνιός τε καὶ χθόνιος, *cælestis* & *terrenus*, ab omni natura sorteque nomen adeptus, quòd omnium rerum autor sit, ἅτε πάντων αὐτὸς αἴτιος ὤν. Plura alia nomina vide *d. l.* Plura alia ex sequente tractatione Lectori innotescent.

§. 13. Ista nomina sunt conformia Sacris Literis, quæ quamvis non κατὰ τὸ ῥητὸν cuncta, tamen κατὰ τὴν διάνοιαν inibi continentur, & inde eliciuntur, aut aliis vocabulis exprimuntur. Sic quem Aristoteles dicit *cælestem* & *terrenum*, Scriptura Sacra nunc *creatorem cæli & terræ (Genes. 1. v. 1.)* nunc *possessorem cæli & terræ (Genes. 14. v. 19.)* nunc *Deum cæli & terræ (Genes. 24. v. 3. & 7.)* vocat.

THEOREMA V.

Aristoteles nomine DEI *idem Ens intelligit, quod Scriptura Sacra.*

§. 14. Cum *Deus* dupliciter considerari possit; *vel absolutè*, quà essentiam suam; *vel relativè*, quà principium & causa est rerum sive creaturarum in Mundo; ideò *duplicem conceptum* de Deo formare possumus; *absolutum* & *respectivum*. Quà primum, Aristoteles ita de Deo statuit: Φαμὲν δὲ τὸν Θεὸν εἶναι ζῶον ἀΐδιον, ἄριστον. *Dicimus itaq; Deum sempiternum optimumq; vivens esse.* ὥστε καὶ ζωὴ καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ Θεῷ· τοῦτο γὰρ ὁ Θεός. *Hoc est Deus*, nempe vivens æternum & optimum; *lib. 12. Metaph. ca. 7. v. 39.*

§. 15. Qua in re nos non litigabimus, an hic sit primus Dei conceptus, vel; an vita sit de primo Dei conceptu? id quod statuit *Petr. Hurtadus de Mendoza Disp. Metaphys. 20. sect. 2. §. 21.* de quo vid. *Slevogt. Disp. theor. 14. §. 9. sqq. p. 281. sq.* sed sufficit nobis, quòd Aristot. essentialia Dei attributa exponit, & per ea Deum (uti in Logicis loquimur) describit. Nec enim malè quærenti, *quid est Deus?* respondes, quòd sit *vivens primum, æternum & perfectissimum*, &c.

§. 16. Quà alteram, h. e. respectivam Dei considerationem, Aristoteles intelligit traditque, Deum esse tale ens, quod *causa & principium existit omnium rerum, lib. 1. Metaph. c. 2.* ὅ τε γὰρ Θεὸς δοκεῖ τὸ αἴτιον εἶναι καὶ ἀρχή τις. Ubi non est, ut offendaris verbô δοκεῖ, quasi dubitaverit Philosophus; sed utitur istâ voce, quia incidenter tantûm, & non ex instituto ibi de Deo agit. Alibi enim, omissô verbô δοκεῖ, simpliciter τὴν ἀρχὴν vocat; sic *lib. 12. Metaph. c. 8. t. 43.* & *lib. de Mund. ca. 7.* πάντων αἴτιον dicit: ὥστε πάντων αὐτὸς αἴτιος ὤν, inquit. Et *ex tali principio* (quod scil. æternum est, quod substantia & actus est) ait *esse Cœlum & totam naturam d. l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* ἐκ τοιαύτης ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, inquit.

§. 17. Hæc de professo cum Scriptura S. concordant. Primò enim in Ea Deus toties vivens vocatur, quoties hîc memorare non licet. Vide *Psal. 42. v. 2. Esa. 37. v. 4. & 17. Jerem. 10. v. 10.* Deinde, Deo in Scripturis SS. non solùm creatio, verùm etiam conservatio Cœli & Terræ totiusque Naturæ tribuitur; nec alius Deus in Scripturâ S. intelligitur, quàm qui est principium & causa omnium rerum in Natura, *creans cœlos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea, dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam, Esa. 42. v. 5.* Conf. *Zachar. 12. v. 1.* Sed hac de re infrà propriis suis locis.

THEOREMA VI.

Aristoteles DEO *(naturaliter noto) eadem, quæ Scr. S. prædicata tribuit, & hoc ipso cum eadem exactè concordat.*

§. 18. Notandum verò I. quòd *prædicata Dei* sint duplicia; *absoluta*, quæ ipsam Dei essentiam, & *relativa*, quæ Ejusdem opera concernunt. 2. *Absoluta Dei prædicata* rursus, doctrinæ quidem causâ, distingvi merentur, quòd eorum quædam *quidditativa*, quædam *qualitativa* sint; ita dicta, quòd (1.) per *illa* respondetur ad quæstionem *quid est Deus*; & ejus-

modi

modi prædicata sunt *Ens*, *substantia*, *Spiritus*, ceu ex Logicis notum est, (2.) *per hæc* verò respondetur ad quæstionem, *qualis* (vel, *quale Ens*, *qualis Substantia*) *est* Deus, cujusmodi sunt *unitas*, *bonitas*, *immutabilitas*, *æternitas*, *omnipotentia*, &c. Quærenti enim, *qualis est Deus*, rectè respondes; est *unus*, *bonus*, *æternus*, *omnipotens*, *omnipræsens*, *omniscius*, &c. *Relativa* s. *respectiva* Dei prædicata sunt & dicuntur, quæ respectū Dei ad creaturas important, cujusmodi sunt, esse *creatorem*, *conservatorem* Mundi & rerum in Mundo existentium, &c.

§. 19. Notandum II. Nil obstare, si non singula Dei prædicata vel in Scriptura Sacra, vel in Aristot. κατὰ τὸ ῥητὸν reperiantur; sed sufficere, si fundamentum in illis habeant, ut per consequentiam inde deducantur, vel deduci possint. Sic Deum esse *substantiam*, item, Ipsum esse *immobilem*, Scriptura S. nullibi expressè habet; in Ea tamen prædicata ista fundamentaliter continentur, ut exinde elicere ea possis. Sic non obstat, quòd Aristoteles nullibi dicit Deum esse *Spiritum*, (hoc enim prædicatum, quà nomen, ipsi fuit incognitum) satis est, si per consequentiam hoc prædicatum ex ejus doctrina, quam de Deo proponit, deducere queas.

§. 20. Quia verò multa & distincta Dei prædicata, distinctas Dei perfectiones denotantia, hic occurrunt, distinctos Articulos, in quibus illa proponantur, constituemus.

Articulus I.

De prædicatis Dei quidditativis.

§. 21. Tria sunt Dei prædicata quidditativa, uti antè §. 18. diximus; *Spiritus*, *Substantia* & *Ens*. Hinc tres propositiones: *Deus est Spiritus*, *Deus est Substantia*, *Deus est Ens*. Prior ad verbum habetur *Johan. 4. v. 24*: & *2. Cor. 3. v. 17*. Altera verò propositio κατὰ τὸ ῥητὸν in Scripturis non habetur, per legitimam autem consequentiam inde infertur. Primò Spiritus est Substantia. Hinc rectè argumentaris à specie ad ge-

nus: Deus est Spiritus, Er. est substantia. Et perinde est in Scholis, sive *Spiritum*, sive *substantiam (essentiam) spiritualem* dicas. Pertinet huc, quòd, quando Dei definitio traditur, h. m. soleat tradi: *Deus est essentia spiritualis*, &c. Dicitur quoque *substantia immaterialis*, item *incorporea*. II. Talia tribuuntur Deo in Scripturis, quæ non nisi substantiæ competunt. Cui verò Scriptura S. talia tribuit, quæ soli competunt substantiæ, illud, juxta Scripturam, esse substantiam oportet.

§. 22. Quod verò tertiam attinet propositionem, *Deus est Ens*; illa non solùm per consequentiam ex antecedentibus prædicatis habetur; Spiritus enim est ens; quia verò Deus, Scripturâ S. dicente & docente, est Spiritus, ipsum ens esse consequitur; verùm quoque in ipsis SS. literis, & quidem tùm in V. tùm in N. Testamento continetur. In Veteri quidem, *Exod. 3. v. 14.* ubi Deus Mosi, nomen ipsius quærenti, respondet: אהיה אשר אהיה, *sum qui sum*, vel: *ero qui ero.* Utroque enim modô verti reddivè potest. Et iterum ait d. l. *sic dices filiis Israël: Sum*, (vel, Ero, אהיה) *misit me ad vos.* Septuaginta ita proponunt: ἐγώ εἰμι ὁ ὤν & : ὁ ὢν ἀπεσταλκέ με πρὸς ὑμᾶς, h. e. *Ergo sum Ens*, &: *Ens misit me ad vos.*

§. 23. Similiter in N. Testamento, *Apocal. 1. v. 4.* χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ, ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est*, &c. Ut omninò rectè argumenteris: qui de se dicit: Ego sum, ego eram, ego ero, &c. ille est reverà ens. Deus de se ita dicit. Er. Deus reverà est ens.

§. 24. Imò toties hoc prædicatum in SS. literis indigitatur, quoties Eæ nomen τετραγράμματον יהוה Deo attribuunt. Venit enim illud à radice הוה, quod significat *fuit.* Unde Schindlerus & Buxtorffius *Ens* interpretantur, ad significandum *Ens ab æterno, & in æternum*, quale Ens locis allegatis quoque intelligitur, nempe Deus.

§. 25.

§. 25. Quid verò hac de re noster Aristoteles? Primò, is *in lib. 12. Metaph. ca. 7.* docet, *Deum esse ens*, & quidem necessarium ac immobile. *In seq. ca. 8.* ubi hanc doctrinam pertexit, Ipsum appellat πρῶτον τῶν ὄντων, primum entium. Pertinet huc, quòd Aristoteles *lib. 11. Metaph. ca. 6.* Theologiam inter Disciplinas Theoreticas optimam esse ex eo probat, quòd circa Ens honorabilissimum versetur. Hoc autem Ens τὸ θεῖον seu *Deum* esse, *lib. 6. Metaphys. ca. 1. t. 2.* docuit.

§. 26. Deinde, Aristoteles tribuit quoque Deo prædicatum *substantiæ*, & quidem cum peculiaribus epithetis, quando dicit (1.) *substantiam primam, lib. 12. Metaphys. c. 8. t. 45.* (2.) *substantiam optimam, d. lib. ca. 9.* (ubi inter absurda reputat id, ex quo sequitur Deum non esse optimam substantiam) (3.) *substantiam æternã d. lib. 12. Metaph. ca. 6. & 7.* aliquoties; (4.) *substantiam à sensibilibus separatam, d. lib. c. 7. t. 41.* (5.) *substantiam immobilem, ll. dd.* sæpiùs. De hoc conf. *l. 8. Phys. ca. 5. & 6.*

§. 27. An verò Aristot. *substantiam spiritualem* (sive *spiritum*) Deum esse voluerit & statuerit, denique videndum est. Taceo hîc, quòd *Cicero in lib. 1. de Nat. Deor.* scribat, Aristotelem *in lib. 3. de Philosophia* voluisse, Deum esse sine corpore, vel incorporeum (de quo vid. *Gerard. Joann. Vossii lib. 1. de Theol. Gent. ca. 2. p. 12.*) & ex citatis jam locis, atque ex datis hypothesibus negotium conficio.

§. 28. Primò quidem Aristot. statuit, *Deum esse substantia à sensibilibus abstractam*, τῶν αἰσθητῶν κεχωρισμένην. Talis autem substantia, citra ullam controversiam, est immaterialis. Sicut enim sensibilitas fundatur in materia, ut Aristoteles rectè dixerit *l. 8. Metaph. c. 1. sensibiles cunctæ substantiæ materiam habent;* ita insensibilitas est ex carentia materiæ. Quia verò propositio efficitur convertibilis, (nimirum, omne quod est immateriale, illud est à sensibilibus separatum &

abstractum, & vicissim: omne quod est à sensibilibus separatum, illud est immateriale; quarum prima à priori se habet, uti in Scholis loqui svevimus, altera à posteriori,) efficacissimum inde prodit argumentum: Quæcunque substantia est à sensibilibus abstracta, illa substantia est immaterialis & spiritualis. Deus est substantia à sensibilibus abstracta. Er. Deus est substantia immaterialis & spiritualis. Addo; *& spiritualis;* substantia enim immaterialis, propriè accepta, non est alia, quàm spiritualis sive spiritus, ceu ex Philosophia notúm est, & hîc supponitur.

§. 29. Ubi apprimè notandum, hoc, & sequentia argumenta, ex intentione Aristotelis, accipienda esse de substantia completa, sive ea, quæ determinatæ est essentiæ. De tali enim Ente, & de tali principio inquirit Philosophus, *cuius substantia actus* est, *l. 12. Metaph. c. 6. t. 30.* De tali ente, de tali principio ipsi sermo est, *quod æternum optimumq́ꝫ vivens est, seq. ca. 7. t. 39.* Illud autem ens, illudve principium non nisi completa substantia est.

§. 30. Deinde quando Aristot. statuit, Deum esse *substantiam optimam, & vivens optimum*, argumentum suppeditat. Si enim Deus est substantia optima, adeoque perfectissima, h. e. talis & tàm perfecta substantia, ut nullam potentialitatem ad recipiendum aliquid entitatis aut perfectionis habeat; Ipsum sanè immaterialem substantiam, adeoque spiritu esse oportet. Est namque substantia immaterialis nobilior materiali, & contrà materialis immateriali ignobilior, sicut vel unicè ex comparatione corporis & animæ rationalis apparet. Optima proinde substantia materialis esse nequit. Erit igitur immaterialis, adeoque Spiritus.

§. 31. Præterea tertiò, Aristot. statuit, Deum esse *substantiam primam, actumq́ꝫ primum* (intellige negativè, non respectivè) *& purum*, sive talem, qui primæ, optimæ & honorabi-

rabilissimæ substantiæ competat, ex hactenus dictis; vid. §. 25. & 26. Hinc arguo: quia materia est pura potentia, ad recipiendum formam, utpote quam, quanta quanta est, appetit, ordinata; fieri non potest, ut illud Ens, quod purus actus est, quod optima & honorabilissima substantia est, vel materiam habeat, vel ullam ab ea dependentiam admittat. Tale autem quod est, non nisi immateriale est. Deus autem tale Ens est. Er. immateriale ens est, adeoq; Spiritus.

§. 32. Denique Aristoteles statuit, Deum esse ens atque *substantiam immobilem*. Quæ autem immobilis est substantia, ea quoque est substantia immaterialis. Probo. Quòd res sunt mobiles, sunt propter materiam; hujus enim est pati & moveri, *l. 2. de ort. & inter. c. 9. t. 53.* hinc materiam alteram naturam, quæ sit principium passivum motus, constituit *l. 2. Phys. c. 1. t. 10.* Ex opposito igitur quòd res sive substantia est immobilis, est ex carentia materiæ, sive ex immaterialitate. Ut proinde (à priori) omne immateriale sit immobile, & vicissim (à posteriori) omne immobile sit immateriale. Atque sic constitutâ, ex Arist. propositione, subsumitur: Deus est immobilis, vel: Deus est substantia immobilis; Er. Deus est substantia immaterialis, sive, substantia spiritualis.

§. 33. Imò, quod tandem addo, immobilis & à sensibilibus separata substantia Aristoteli, quantum ad rem, alia non est, quàm immaterialis, nec aliam is intelligit. Etenim sicut illa substantia, quæ materiâ constat, Philosopho αἰσθητὴ seu sensibilis dicitur, ceu patet ex *lib. 8. Metaph. c. 1.* ita illã, isti quæ opposita est, immobilem vocitat & separatam. Hæc autem alia esse non potest, quàm ea, quæ ἄϋλος & sine materia est. Atque ita ipse Aristoteles explicat *lib. 12. Metaph. c. 6.* ubi illam substantiam, quam antè (*in initio ca. 6.*) immobilem dixerat, posteà dicit ἄνευ ὕλης, h. e. *sine materia* esse, *d. ca. 6. t. 30.*

§. 34.

§. 34. Not. quòd dixi, *quantum ad rem.* Quantum enim ad conceptum, non procedit. Alius siquidem est immaterialitatis, alius immobilitatis, &c. Imò ratio prioris & posterioris hîc habet locum. Immaterialitas enim prior est ratione modi concipiendi immobilitate, & insensibilitate, & est causa propter quam aliquod ens est immobile & insensibile. Quidquid verò hujus rei sit, cuncta ista eandem designant substantiam, idem Ens, primum scilic. & supremum, cui cuncta ista prædicata competunt.

§. 35. Not. præterea, Aristotelem suo & loquendi & tractandi modô eandem quam Scriptura S. intendisse & ostendisse substantiam, nempe spiritualem, sive Spiritum. Potest enim una eademque res aliis & aliis verbis denotari vel describi, sicut suprà in *Parasc.* §. *8. p. 4.* notavimus. Et in hoc casu cujusvis Authoris *συνήθεια* seu consuetudo respicienda est.

Articulus II.

De prædicatis Dei qualitativis.

§. 36. Multa hæc sunt & varia, quæ seq. ordine proponemus.

I. DEI (*Divinæ Essentiæ*) *Vnitas.*

§. 37. Quòd Deus unus sit, & non plures, (licèt sint plures unius essentiæ personæ) evidentissima Scripturæ S. testimonia monstrant. Illustre est dictum in *Deuter. c. 6. v. 4. audi Israël, Dominus Deus noster Dominus unus*, יהוה אחר. Conf. *Esaiæ 45. v. 4. & 14.* item *seq. ca. 46. v. 9.* add. *1. Corinth. 8. v. 4. Ecclesiastic. c. 1. v. 8.* & *ca. 36. v. 13.*

§. 38. Sed de Scriptura S. res certa est, & manifesta. De Aristot. dispiciemus. Is pluribus in locis unitatem Dei adstruit. *Lib. 8. Phys. t. 48. & 49.* ubi inter alia ita habet: *ἱκανὸν δὲ καὶ εἰ ἕν, ὃ πρῶτον τῶν ἀκινήτων ἀΐδιον ὄν, ἔσται τοῖς ἄλλοις ἀρχὴ κινήσεως. Φανερὸν δὲ καὶ ἐκ τοῦδε ὅτι ἀνάγκη εἶναι ἕν καὶ ἀΐδιον τὸ πρῶτον κινοῦν.*

h. e.

h. e. *Sufficiens autem est & unum; quod cum primum immobilium sit, perpetuumve, cæteris erit principium motus. Ex hoc etiam patet, aliquid esse necessariò unum perpetuumve, quod primò movet.*

§. 39. Per primum autem movens non aliud Ens, non aliam Substantiam intelligit Aristoteles, præterquam Deum, ceu ex Ipsius Philosophia notum est. Et prætereà alibi expressè Deum unum proclamat: sic *lib. de Mund. ca. 7. initio: Unus* (scil. *Deus*, quem toties *antec. cap. 6.* nominavit) *cum sit, pluribus nominibus appellatus est.* Accedit locus elegantissimus *l. 10. Metaph. c. 1.* ὥσθ' ἓν ἂν εἴη πρῶτον τὸ πᾶσι ταῖς οὐσίαις αἴτιον τοῦ ἑνός. h. e. *quocircà id, quod aliis rebus dedit, ut unaquaq; una sit, illud maximè est unum.* Illud verò (juxta Aristot.) quodnam est aliud, præterquam *Deus?* Deus ergo Aristoteli est maximè unus. Huc optimè quadrat, quod optimus Philosophus, postquam *l. 12. Metaph. ca. ult. in fin.* dixerat, *entia nolle malè gubernari;* statim subjungit elegantissimum Homeri versum, eòque librum finit: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος. h. e. *non est bonum multorum imperium; unus sit Dominus.*

§. 40. Sed ecce! non solummodò Deum unum pronunciat Aristoteles, verùm quoque, *quomodo sit unus*, exponit *d. lib. 12. Metaph. c. 8. t. 49. Unum ergo & ratione & numerò* (καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ) *primum movens immobile ens est.* Consentit hoc de professo tàm Theologorum, quàm Philosophorum Scholis. Nimirum primum Ens, primumque movens à cœteris omnibus entibus & ratione & naturâ est independens; ab illo verò cœtera dependent, & in suo esse, & in suis rationibus. Quod Ens nullum est aliud, quàm solus & unus Deus, qui solus efficit, ut quælibet res sit una numerò.

II. Dei (Essentiæ Divinæ) Simplicitas.

§. 41. Hoc attributum expressè in Sacris SS. non habetur, sed virtute in illis delitescit, & inde eruendum venit. A-

pud Aristot. verò expressis illud habetur verbis. *Lib. 12. Metaph. c. 7. t. 37.* νοητὴ δὲ ἡ ἑτέρα συστοιχεία καθ' αὑτήν· καὶ ταύτης ἡ οὐσία πρώτη, καὶ ταύτης ἡ ἁπλῶς, καὶ κατ' ἐνέργειαν. h. e. *Intelligibile, alter ordo est, qui per seipsum est: & hujus substantia prima, atq; huiusce, quæ simpliciter & secundùm actum est.* Casaubonus reddidit ultima verba: *quæ simplex & secundùm actum est.* Quæ ipsa μετάφρασις videtur explicari aut clara reddi per sequentia verba: ἔστι δὲ τὸ ἕν, καὶ τὸ ἁπλοῦν, οὐ τὸ αὐτό. *Est autem unum & simplex* (cujusmodi nimirum est substantia prima) *non unum.*

§. 42. Sed omnium illustrissimus est locus *l. 7. Ethic. Nicom. ca. ult.* ubi sic: ἐπεὶ εἴ του ἡ φύσις ἁπλῆ εἴη, αἰεὶ ἡ αὐτὴ πρᾶξις ἡδίστη ἔσται. διὸ ὁ θεὸς αἰεὶ μίαν καὶ ἁπλῆν χαίρει ἡδονήν. *Si cujus natura simplex sit, eadem actio semper erit jucundissima. Itaq; semper unâ & simplici voluptate Deus* (utpote, qui natura simplex est) *potitur.* Conf. & sequentia.

§. 43. Quia verò, uti dixi, hoc Dei attributum in Scripturis actu & expresse non invenitur, illud inde deducendum, & de Deo ostendendum est. Optimum autem & efficacissimum argumentum sumitur à spiritualitate Dei. Quia enim Deus, uti Scriptura S. docet Spiritus (vel quod idem, spiritualis essentia) est, ideò simplex est. Talis enim essentia non potest non esse simplex.

§. 44. Estque notatu dignissimum, quòd non solùm apud Aristot. quædam Divinorum prædicatorum actu & expresse non inveniuntur, verùm quoque in ipsis Scripturis Sacris. Sic prædicatum *Spiritus* non invenitur expresse positum in Aristotele, ex illo tamen probatur, & ex hoc ipso quidem Dei attributo, nimirum ex ejus *simplicitate.* Et vicissim, *simplicitatis* attributum non extat expressum in Scripturis; probatur autem ex illis, assumendo prædicatum *Spiritus.* Efficitur enim inde propositio convertibilis: *quodcunq; Ens*

est spirituale, illud est simplex sive simplicis naturæ, & vicissim, *quodcunq; Ens est simplex, illud est spirituale, sive Spiritus.*

§. 45. Antequam verò hinc abeamus, sciendum, quòd Aristoteles simplicitatem in Deo velit esse summam. In *d. l. 12. Metaph. c. 9.* statuit, in Deo (de hoc enim ipsi sermo est & negotium) non differre *intellectum, intellectionem & intelligibile*, (νοούμενον, scilic. primarium, quod est Deus) sed idem omninò esse. Et hoc postremum (νοούμενον scilic. quod Deus est) *in seqq.* negat esse, *compositum*. Sit argumentum: Quodcunque Ens ita se habet, ut in ipso non differant νοῦς, νοούμενον & νόησις, illud Ens simplicissimum sit oportet. Sed Deus est tale Ens, &c. Er. &c. Minor est Aristotelis; Major est principium evidentissimum.

§. 46. Quando ergò Aristot. negat, Deum esse compositum, non removet solùm compositionem essentialem Physicam, aut integralem; sed omnem realem, h. e. omnem eam, in qua extrema componibilia realiter inter se differunt. Quod autem tale Ens est, ut in ipsum nullus realis compositionis modus cadat, ipsum simplicissimum esse, qualis dubitet? Sed Deus, juxta Aristotelē, est tale Ens. Er. &c. Imò, juxta eundem, omnia in Deo sunt ταυτὸ; Si enim in Deo (quantum ad propriam sui cognitionem) non differunt invicem secundùm rem Deus, ejusque intellectus ipsaque intellectio, sed sunt ipse Deus, sive ipsa essentia Divina; neque aliæ, quæ sunt in Deo, perfectiones ab ipso (vel etiam inter se) realiter differunt, sed sunt idem ipse Deus.

III. *Dei (Essentiæ Divinæ) veritas.*

§. 47. Præterquam quòd Opera Divina testantur de Vero Deo, ejus siquidem Divinitas & Potentia per effecta (ποιήμασι) ejus manifestata est, *Rom. ca. 1. v. 20.* clara de hoc Dei attributo in SS. Literis in promtu sunt testimonia, nim. *Jerem. ca. 10. v. 10. Dominus Deus* אמת *veritas, Deus vivens.*

Occurrit autem in prioribus verbis Ebraismus, de quo vid. Dn. Glass. *Philol. Sacr. lib. 3. can. 8. p. 28.* Videtur autem rectè verti *Deus verus*, vel, veri nominis, qui opponitur falsis, idolis nempe, quæ ibid. rejiciuntur. Ebræi benè explicant in Michlal Jophi, quorum verba Latinè reddita hanc gignunt sententiam: *ille est vivus verus Deus, qui vitam nulli fert acceptam, quam reliqua viventia omnia agnoscunt vitæ autorem.* Lutherus reddidit ein rechter (h. e. wahrer) Gott.

§. 48. Similis planè locus est *1. Thessal. 1. v. 9.* πῶς ἐπεστρέψατε πρὸς τὸν Θεὸν ἀπὸ τῶν εἰδώλων, δουλεύειν Θεῷ ζῶντι καὶ ἀληθινῷ, h. e. *quomodo conversi fueritis ad Deum ab idolis, ut serviretis Deo vivo & vero.* Opponitur & hîc Deus verus Diis fictitiis; ab his aversi & conversi Thessalonicenses, serviebant Deo vivo & vero. Huic enim soli serviendum; illa verò relinquenda sunt. Jungimus *1. Epist. Johan. 5. v. 20.* qui locus quamvis de Christo loquatur, (*filius Dei dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum, qui verus est,* τὸν ἀληθινὸν· καὶ ἔσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, &c.) tamen veri Dei mentione alium non intelligit, (nec enim alius est) quàm eum quem, nos hîc contemplamur, verbô; Creatorem Cœli & Terræ.

§. 49. Sed quid hîc noster Philosophus? Expressè quidem *verum Deum* non nominat; talia tamen de Deo docet & proponit, quæ non nisi vero Deo competunt, aut, quæ non nisi verum Deum arguunt & ostendunt, ceu vel unicè ex *lib. de Mund. ca. 6. & 7.* videre est. Argumentamur: quicunque Deus est 1. omnium rerum causa, 2. Dominus Cœli & Terræ, 3. servator & assertor rerum à se conditarum, 4. universum mundum regens & gubernans, 5. totiusque Universitatis incolumitatem conservans, &c. ille est verus Deus. Sed Deus, quem Aristoteles in Lib. de Mundo describit, est 1. omnium rerum causa, 2. Dominus Cœli & Terræ, 3. servator

& assertor rerum à se conditarum, 4. universum Mundum regens & gubernans, 5. totiusque Universitatis incolumitatem conservans, &c. Er. Deus ab Arist. descriptus est verus Deus. Alia hîc mitto. Cuncta tàm ex dictis, quàm ex dicendis evadent manifesta.

IV. Dei (Essentiæ Divinæ) bonitas & perfectio.

§. 50. Notandum, dupliciter *Deum* dici *bonum*: 1. *entitativè*, sive ratione essentiæ, quomodo quidem omne Ens bonum est, ipsæ etiam creaturæ; 2. *moraliter*, sive ratione voluntatis, quomodo aliquis bonus dicitur, qui benè operatur, vel benè operandi intentionem habet. Utroque quidem modô Deus bonus est; verùm posterius hoc inpræsentiarum est inpertinens, cum de *bonitate essentiæ* (uti titulus habet) sit negotium.

§. 51. Hoc verò attributum Dei tùm secundùm literam habetur in Scripturis, tùm per consequentiam ex illis elicitur. Primò quidem colligitur, ex operibus atque effectis Dei, quæ non nisi bona sunt; *Genes. 1, v. 32. Marc. 7. v. 37. Ecclesiastic. 39, v. 22.* fit syllogismus: Cujus opera sunt valdè bona, & qui non nisi benè facit, quod facit, illum valdè, imò summè bonum esse oportet. Sed Dei opera sunt valdè bona, & ipse non nisi benè facit, quod facit. Er. &c. Accedat *Jacob. ca. 1, v. 17.* πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων. *Omnis donatio bona & omne donum perfectum è supernis est, descendens à Patre Luminum*, &c. Pullulat inde idem, quod modò proposuimus, argumentum.

§. 52. Porro huc facit, quòd Scriptura S. Deum nullius indigentem esse tradit, *Actor. 17, v. 25.* Integer textus ita habet: οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται, προσδεόμενός τινος, αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν κατὰ πάντα. h. e. *Nec manibus humanis colitur* (scilic. Deus) *indigens aliquo, cum ipse det omnibus vi-*

tam & halitum per omnia. Syllogiſmus prodit hic: quicunque nullius indiget, ipſe verò ſupplet indigentiam aliarum rerum, dans illis vitam & halitum, ille eſt eſſentialiter bonus & perfectus. Deus nullius indiget, (*οὐ προσδεόμενός τινος*) ipſe verò aliarum rerum indigentiam ſupplet, dans illis vitam & halitum, vel, uti habetur *ſeq. verſ. 28.* eſſe, vitam & motum. Er. Deus eſt eſſentialiter bonus & perfectus.

§. 53. Sed hoc clariſſimè & uno, quod dicitur, verbô proponitur à Salvatore *Matthæi ca. 19. v. 17. οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός. nemo bonus, niſi unus Deus.* Imò hoc dictum inculcat nobis, Deum eſſe ſummè bonum. Nec enim aliâ ratione ſolus bonus dicitur, quàm quia eminentiſſimè bonus eſt. Nam creaturæ etiam ſunt bonæ. Cuncta enim, quæ fecit Deus, valdè erant bona, *Geneſ. c. 1. v. 31.* Abſolutè igitur loquendo, non ſolus Deus bonus eſt, ſed quoque alia entia poſt Deum; Comparando verò Deum cum creaturis, nemo eſt bonus, niſi Deus, utpote qui (1.) in ſe bonus eſt, uti ex h. Scripturæ l. habetur; (2.) omnis bonitatis fons & origo eſt, ex *Jac. 1, v. 17.* (3.) omnium aliarum rerum perfectiones eminenter in ſe continet, *Pſal. 93. v. 9.* & *Eſa. 66. v. 9.* Vid. *Scheibler. Metaph. l. 2. ca. 3. nu. 324. ſqq.*

§. 54. In hanc rem eſt egregia Auguſtini explicatio *in Epiſt. 54. ad Macedon. Deus ergo ſolus ſingulariter bonus eſt, & hoc amittere non poteſt. Nullius enim participatione bonus eſt, quoniam bonum, quô bonus eſt, à ſeipſo eſt. Homines autem, quos Deus bonos dicit,* (ut *Matth. 12. v. 12.*) *ex participatione gratiæ id ſunt.*

§. 55. Ariſtotelem nunc adeamus, qui non uno in loco Dei bonitatem & perfectionem adſtruit. Ita autem ille *in lib. 1. de Cæl. c. 9. t. 100.* τὸ θεῖον πρῶτον καὶ ἀκρότατον οὔτ' ἔχειν φαῦλον οὐδὲν, οὔτι ἐνδεὲς τῶν αὐτοῦ καλῶν οὐδενὸς εἶναι. h. e. *primum & ſummum Divinum* (ſive *Deum*) *nihil mali habere, nec ullo ſuorum bono-*

bonorum indigere. Similiter *l. 2. Magn. Mor. c. 15. Neq́ enim si Deus est* αὐτάρκης καὶ μηδενὸς δεῖται, *sibi sufficiens, nulliusq́ indiget; ob hoc etiam nos nullo indigebimus.* Et *l. 7. Eudem. c. 12.* ubi Deum οὐδενὸς προσδεόμενον, *nullius indigentem* asserit. Qui locus (vel, loci phrasis) de professo coincidit cum antè citato dicto ex *Act. ca. 16, v. 25.* Ut habeamus Aristotelem de professo cum Scripturis Sacris consentientem.

§. 56. Imò idem, quod ex Scripturis anteà, jam ex Aristotele formamus argumentum: quicunque est αὐτάρκης, οὐδενὸς προσδεόμενος, aliorum verò omnium indigentiam supplens, ille est bonus atque perfectus. Sed Deus est αὐτάρκης, nullius indigens, ipse verò omnium aliorum indigentiam supplet; Er. &c. Minor, quà primum, est Aristotelis κατὰ τὸ ῥητὸν; quà alteram verò partem claret ex *lib. de Mund. ca. 6. & 7.* ubi dicitur γενέτωρ καὶ σωτὴρ, αἴτιος τῆς σωτηρίας, δι' ὃν ζῶμεν, *per quem vivimus*, quod etiam *in Actor. cap. 17.* dicebatur.

§. 57. Accedit, quòd Aristot. Deum *optimum*, (ἄριστον) imò *optimum vivens* ait esse *lib. 12. Metaph. c. 7. t. 37. & 59.* & *seq. ca. 9.* Deum *optimam* esse *substantiam*, evincit h. m. *sive enim mens* (Deus) *nihil intelligat, quidnam erit venerabile, sed ita se habeat, ut dormiens; sive intelligat, hujus verò aliud sit principale (non enim id, quod est ejus substantia, intellectio erit, sed potentia) non erit* ἀρίστη οὐσία, h. e. *optima substantia.*

§. 58. Facit huc, quòd Aristot. recensens varios modos perfecti, *l. 5. Metaph. c. 16.* ait, *uno modô per se perfectum dici, quod secundùm benè in nullo deficit, nec in aliquo genere excessum habet, nec quidquam extrà accipit.* Quæ verba Thomas *ibid. lect. 18.* explicans, ait: *hæc est conditio primi principii, scil. Dei, in quo est perfectissima bonitas, cui nihil deest de omnibus perfectionibus in singulis generibus inventis.*

V. Dei primitas, vel, quòd est primus omnium Entium.

§. 59. Præclara de hoc attributo tùm in Scripturis, tùm in

in Aristot: prostant testimonia. Sic *Esaiæ 44, v. 6.* Deus se-ipsum appellat ראשון, πρῶτον seu primum. *Ego primus*, ait, *& ego novissimus.* Idem de Deo dicitur & docetur in Apocalypsi & quidem repetitis vicibus, sed aliis verbis. Ita habet *cap. 1. v. 8.* ἐγώ εἰμι Α καὶ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, λέγει ὁ κύριος. Similiter *Cap. 21. v. 6.* In ultimo verò *cap. ver. 13.* omnia ista prædicata conjunguntur: ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος; h. e. *ego sum a & ω, principium & finis, primus & ultimus.*

§. 60. Pro cujus rei declaratione notanda sequentia: I. Propositio hæc, *Deus est principium & finis*, non accipitur *respectivè*, seu qt. dicit respectum ad rerum creatarum conditionem, quomodo Aristoteles dixit *lib. de Mund. cap. 7. in fin.* ὁ μὲν δὴ θεὸς ἀρχήν τε, καὶ τελευτὴν, καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων; *enim verò Deus principium & finem & media rerum omnium tenens*; sed *absolutè*, ceu ex aliis propositionibus est cernere, quando nimirum inquit Deus; *ego sum α & ω; ego sum primus & novissimus.*

§. 61. Not. II. τὸ *primum* & *ultimum*, τὸ *principium* & *finis*, *negativè* accipi, prout dicunt negationem omnis prioris & posterioris; & hoc apprimè docetur *in ant. ca. 43. Esaiæ, v. 11. ante me nõ est formatꝰ Deus, & post me non erit.* Ut latescat quoque hic συλλογίζων λόγος: Ille, ante quem & post quem non est alius, primus est & ultimus. Deus est, ante quem & post quem non est alius. Er. Deus est primus & ultimus. Jungimus dictum *Psal. 90. v. 2. Priusquam montes nascerentur, & formares terram & orbem, & à seculo & in seculum tu es Deus.*

§. 62. Nunc ad Aristotelem. Hic *lib. 12. Metaph. c. 8. t. 43.* Deum statuit esse *primum Ens*, inquiens: ἡ ἀρχὴ καὶ πρῶτον τῶν ὄντων, *principium & primum eutium.* Et *anteced. cap. 7.* semel atque iterum vocat οὐσίαν πρώτην, h. e. *primam substantiam.* Ubi notandum, *primam substantiam* dupliciter dici, vel accipi

apud Aristotelem: *vel Logicè*, pro individuo substantiali, sive pro tali substantia, quæ neque de subjecto aliquo dicitur, neque in subjecto aliquo est, ceu constat ex *lib. categ. ca. 5.* *vel Metaphysicè*, & quidem negativè, pro tali substantia, qua non datur prior. Quando Aristot. Deum substantiam primam & Ens primum dicit, posteriori modò intelligit, & hoc ipso, Deum ante omnes substantias, & ante omnia entia fuisse significat.

VI. DEI (Essentiæ Divinæ) independentia.

§. 63. Hoc quidem Dei Attributum neque in Scripturis, neque in Aristot. expressum habetur, inde tamen per consequentiam probatur, nimirum: Si Deus est primus, si est ante omnes substantias, omniaque Entia, ut independens sit & à se, necesse est. Quidquid enim est ante omnia, id à nullo potest dependere, cum nihil sit, à quo dependeat. Quidquid autem à nullo dependet, & tamen reverà est seu existit, id ex se sive à se ipso sit oportet.

VII. Dei immutabilitas.

§. 64. Cum dupliciter intelligatur, *Deum esse immutabilem*; vel *ratione essentiæ*, vel *ratione voluntatis*; utramq; immutabilitatē breviter tum ex Scripturis, tum ex Arist. delibabimus. Quà illam, *Malach. 3. v. 6.* inquit Deus: *ego Dominus, & non mutor. Apud Deum non est transmutatio*, παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, *aut conversionis adumbratio, Jacob. 1. vers. 17.* Idem κατὰ διάνοιαν habetur in *Psal. 102. v. 27.* ubi ita Propheta: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Latet hic συλλογιζων λόγος. Quicunq; idem est manetque, & cujus anni non deficiunt, ille quà essentiam suam est immutabilis. Deus idem est manetque, ejusque anni non deficiunt. Er. &c.

§. 55. Quantum ad *immutabilitatem voluntatis* verò egregius est locus *Esa. 14. v. 24. sqq.* ubi *ver. 27.* hæc traduntur: *Dominus exercituum* יעץ *consuluit*, vel, uti habetur in vers. Vul-

gata, *decrevit*; ומי יפר *& quis irritabit*, vel, uti Vulgata, *quis infirmabit? Manus ejus est extenta, & quis redire faciet (avertet) eam?* Quibus verbis significatur, id, quod Deus decrevit, firmum esse & immutabile.

§. 66. Sed ad Philosophum nostrum. Immutabilitatem Dei ratione essentiæ is docet *l. 12. Metaph. c. 7.* ubi *text. 41.* ipsum dicit ἀναλλοίωτον h. e. *immutabilem.* Et in *antec. t. 38.* Deum *ens necessarium* esse statuit, quod non contingit aliter se habere. Quod autem tale est ens, ipsum immutabile esse consequitur. Pulchrè quoque in *seq. ca. 9.* tradit his ipsis verbis: δῆλον, ὅτι τὸ θειότατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ οὐ μεταβάλλει, *Manifestum quod id, quod divinissimum honorabilissimumq; est,* (Deum intelligit) *non mutatur.* Et *l. 1. de Cœl. ca. 9. t. 100.* sic: *omne divinum* ἀμετάβλητον h. e. *immutabile esse necesse est.*

§. 67. *Ratione* verò *voluntatis & decreti immutabilem* esse Deum, docuit *Aristot. l. 7. Ethic. Nicom. c. ult. in fin.* ubi tradit, *mutationem omnium rerum dulcissimam esse, propter improbitatem quandam hominum. Quemadmodum enim homo vitiosus,* inquit, *ingeniô mobili ac mutabili est, sic ea natura, quæ mutationem desiderat, mala ac vitiosa est. Non enim simplex, neq; bona est.* In antecedentibus verò dixerat: *si cujus natura simplex sit, eadem actio semper erit jucundissima. Itaq; Deus semper unâ & simplici voluptate potitur.* Quia nimirum vitiosi & improbi ingeniô sunt mobili ac mutabili, Deum, qui neutiquam malus & improbus, sed bonus, imò optimus est, (uti hîc, tanquam verissimum, supponitur) non esse mutabili ingeniô, ita loquendo, vel, non habere voluntatem mutabilem consequitur. Summa rei est: quæ natura est simplex & bona, illa est immutabilis voluntatis; quæ verò natura non est simplex & bona, illa est mutabilis voluntatis, vel, ut Aristot. loquitur, ingenii mutabilis.

§. 68. Imò denique Philosophus *lib. 12. Metaph. c. 6.* & alibi

alibi passim, tantam Deo in agendo constantiam tribuit, ut non solùm Interpretum plurimi, verùm quoque alii doctissimi Scriptores existimârint, Deum agere ex necessitate naturæ. Quam quidē disputationem hìc nostram non facimus.

VIII. Dei incorruptibilitas & immortalitas.

§.69. Hoc Dei attributum non solùm ex aliis prædicatis Divinis, uti ex immaterialitate & immutabilitate deducitur atque probatur (Omne enim immateriale est incorruptibile & immortale; item omne quod est immutabile, immortale est; quod enim mutari nequit, quomodo morti subjectum erit) verùm quoque expresse in Scripturis invenitur. Sic in *1. Tim. 1. v. 17.* Deus dicitur βασιλεὺς τῶν αἰώνων ἄφθαρτος, *rex in æternum incorruptibilis*; & in *d. Epist. ca. ult. ver. 16. solus immortalitatem*, ἀθανασίαν, *habere* dicitur.

§.70. Quantum verò ad Aristotelem, is Deum (1.) incorruptibilem esse docet *l. 2. de Cæl. t. 36.* ubi expresse ipsum ἄφθαρτον seu *incorruptibilem* dicit; *primum* enim *primi, & simplex simplicis, & (ἄφθαρτον seu) incorruptibile & ingenerabile incorruptibilis & ingenerabilis esse principium* ait. (2.) Deum ἀθάνατον seu *immortalem* statuit & vocat in *lib. 1. de Cæl. t. 22.* & *lib. 5. Topic. ca. 1.* semper proprium Dei dicit esse, quòd sit ζῶον ἀθάνατον seu *vivens immortale.* Addimus *lib. de Mund. c. 6.* ubi ζωῆ ἀθάνατος h. c. *vitâ immortalis* vocatur, quòd immortalem vitam agat.

IIX. Dei æternitas.

§.71. Æternitas Dei non solùm in SS. Scripturis, verùm quoque in Aristotele habetur. In Scripturis quidem tùm expresse docetur, tùm per consequentiam inde probatur. *In Genes. c. 22. v. 33.* dicitur אל עולם. Et in *Esaiæ ca. 40. v. 28.* אלהי עולם, *Deus æternus*: S. Paulus *Roman. 16. v. 26. Deum* vocat αἰώνιον, h. c. *æternum*. Idem hoc assertum Scriptura Sacra per legitimam consequentiam nobis elargitur.

Qui enim nullam mutationem patitur, & cujus anni non deficiunt, uti habet Psaltes, vel, uti in Scholis loquimur, quicunque est immutabilis & indefectibilis, ille est æternus. Deus est immutabilis & indefectibilis. Ergo Deus est æternus. Add. *Esa. 57. v. 15. Dan. 8. v. 9. Job. 36. v. 26. Psal. 90. v. 4. Joh. 10. v. 5. 2. Petr. 3. v. 8.*

§. 72. Apud Aristot. quoque hoc Dei Idioma tùm expressè positum invenitur, tùm per consequentiam ex aliis ipsius assertis deducitur. Expressè quidem, quando Deum vocat ζῶον ἀΐδιον, *vivens æternum, lib. 12. Metaph. c. 7.* addens; καὶ αἰὼν συνεχὴς καὶ ἀΐδιος ὑπάρχει τῷ θεῷ, h. e. *& ævum continuum atq; sempiternum Deo inest.* Huc pertinet, quòd *8. Physic. t. 49. primum movens* (quod Aristoteli est Deus) ἀΐδιον seu *æternum esse* dicit. Præterea per consequentiam hoc Dei attributum ex Aristotelicis deducitur principiis. Quidquid enim (1.) est ens primum seu ex se & ante omnia, (2.) omninò immutabile & immortale, illud quoq; est æternum. Sed Deus Aristoteli est tale Ens, ceu ex illis, quæ hactenus dicta & evicta fuêre, constat. Er. Deus Aristoteli quoque est æternus.

IX. Deus est excelsus & altissimus.

§. 73. Tùm propter potentiam, tùm propter locum habitationis ista Deo in Sacris paginis tribuuntur prædicata, ceu videre est *Genes. 14. v. 19. & 20.* ubi sic: *benedictus Deus* עליון *altissimus*, &c. Et *Esaiæ 57. v. 15. sic dixit* רם ונשׂא *excelsus & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus* מרום *in excelso & sancto habitans.* Item *Daniel. 3. v. 32. Signa & mirabilia fecit mecum* אלהא עליא *Deus excelsus.* In Psalmis præcipuè Davidicis quàm sæpissimè hoc Dei epitheton invenitur, ceu diligentibus Scripturarum SS. Lectoribus notum est, ut operosæ allegationi supersedamus, & ad Aristotelem accedamus.

§. 74. Is, uti solet quidem, elegantissimè hanc rem proponit

ponit *in lib. de Mund. ca. 6.* ajens: τὴν μὲν οὖν ἀνωτάτω καὶ πρώτην ἕδραν αὐτὸς ἔλαχεν, h. e. *ſummam igitur & primam ſedem ſortitus eſt*, ſcilic. Deus, quem modò *genitorem & ſervatorem rerum* nuncupârat. Et poſt aliqua *ante med. d. cap.* σεμνότερον δὲ καὶ πρεπωδέστερον, αὐτὸν μὲν ἐπὶ τῆς ἀνωτάτω χώρας ἱδρῦσθαι, τὴν δὲ δύναμιν διὰ τοῦ σύμπαντος κόσμου διήκουσαν, h. e. *auguſtius id decentiusq́ exiſtimandum eſt, Deum in ſummo loco ita eſſe collocatum, ut tamen Numinis ejus vis per univerſum mundum pertingat.* Et in *ſqq. poſt med. cap.* πλὴν οὐ τι μέσος ὤν, ἀλλ' ἄνω, καὶ καθαρὸς ἐν καθαρῷ χώρῳ, *non in medio ille loco, ſed in excelſo ſitus eſt, purus in puro loco.* Jungatur *l. 1. de cæl. c. 3. t. 22.* πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι h. e. *omnes Deo ſupremum locum tribuerunt.* Hoc ipſo autem, quo ſupremum locum tenet Deus, excelſus eſt & altiſſimus.

X. Deus eſt, vel habitat in Cælis.

§. 75. Propoſitio hæc tàm in Scripturis invenitur, quàm apud Ariſtotelem. *Pſalm. 2. v. 4.* יושב בשמים *habitans in cælis ridebit.* Et *Pſal. 22, v. 1. ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis,* הישבי השמים. In oratione Dominica dicimus: πάτερ ἡμῶν, ὁ τοῖς οὐρανοῖς, *Pater noſter, qui es in cælis, Matthæi 6. v. 9. Luc. 11. v. 2.* Alia Scripturæ loca mitto, & Ei Ariſtotelem ὁμόψηφον reddo.

§. 76. Poterat quidem conſenſus ex jam dictis cognoſci; addimus tamen *lib. de Mund. ca. 6. poſt init.* κρεῖττον οὖν ὑπολαβεῖν ὃ καὶ πρέπον ἐστὶ, καὶ θεῷ μάλιστα ἁρμόζον, ὡς ἡ ἐν οὐρανῷ δύναμις ἱδρυμένη καὶ τοῖς πλεῖστον ἀφεστηκόσιν, &c. h. e. *Proinde id præſtabilius cenſemus eſſe, Deoq́ tùm decentius, tùm magis conſentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus, poteſtatem illam in cælo ſedes ſuas habentem, incolumitatis cauſam rebus univerſis præſtare, iis etiam, quæ longiùs ab ea remota ſunt.* Et in *ſeqq.* cum dixerat Philoſophus, Deum in excelſo & puro loco ſitum eſſe, addit, quem locũ tùm *Uranon*, tùm *Olympum* dicimus. Alia plura vid. ibid.

XI. *Deus est magnus.*

§.77. Hoc Dei ἐπίθετον celebre est in Scripturis, & multis in locis expressum invenitur, imò etiam inde per consequentiam, ex operibus nimirum Dei, deducitur. Prænotandum autem, non de *magnitudine quantitatis*, sed *de magnitudine essentiæ, perfectionis*, atque *potentiæ* intelligendum esse hoc Dei ἐπίθετον. Ita edocti sumus ab Augustino *lib.6.de Trinit. 8. in his, quæ non mole magna sunt, idem est majus esse, quod melius esse*, inquiente.

§.78. Deum verò non mole magnum, h.e. non quantum, vel, quantitate præditum esse[!], Philosophus noster expressa docet literâ, & indigitat Sacra Pagina. Ita extat *l. 12. Metaph.c.7.t.41.* δέδεικται δ', καὶ ὅτι μέγεθος οὐδὲν ἐνδέχεται ἔχειν ταύτην τὴν οὐσίαν, ἀλλὰ ἀμερὴς καὶ ἀδιαίρετός ἐστι. h.e. *Ostensum autem est, quòd nec ullam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verùm impartibilis indivisibilisque est.* Prodit inde Syllogismus hic: quæcunque substantia est partium expers (ἀμερὴς) & indivisibilis (ἀδιαίρετος) illa etiam magnitudinis expers est. Sed Deus est partium expers & indivisibilis. Er. Deus quoque est magnitudinis seu quantitatis expers.

§.79. Idem Scriptura S. indigitat, quando Deum Spiritum esse docet. Inde enim habemus sequentia; (1.) Deum esse incorporeum, (2.) Deum esse magnitudinis (scilic. veræ & physicæ) expertem; (3.) impartibilem, adeòque (4.) compositionis physicæ expertem. Sit syllogismus; Nulla substantia spiritualis est magnitudinis sive quantitatis capax. Deus est substantia spiritualis. Er. &c.

§.80. Quando verò Scriptura S. Deum *magnum* dicit, impropriè id est accipiendum, de *magnitudine essentiæ, perfectionis & virtutis*. Et de tali magnitudine intelligenda dicta *Psal. 48. v. 2. Psal. 77. v. 15. Psal. 145, v. 3. Psal. 147, v. 5.* גדול *Magnus Dominus; Magnus Deus.* Præclarum est dictum in

Judith c. 16, v. 16. quod omninò explicationem hujus rei continet: *Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tuâ, & quem superare nemo potest.*

§. 81. Quantum ad Aristot. verò, quamvis hoc Dei prædicatum in ipsius Libris non legatur, tamen talia asserta in *Lib. de Mundo* inveniuntur, ex quibus probare id quàm optimè, quàm validissimè queamus. Et quidnî ex operibus, ex quibus Deus, in se invisibilis, cernitur & cognoscitur, *d. l. cap. 6.* tale jure effeceris argumentum: Cujus opera magna sunt, illum ipsum magnum esse oportet. Atque (juxta Aristot.) opera Dei magna sunt. Er. &c. Vel h. m. Quicunque magna edit opera, illum magnum Dominum esse oportet. Sed Deus magna edit opera. Er. Ipsum magnũ esse oportet.

XII. Deus est infinitus.

§. 82. Prænotandum 1. In Scriptura S. quidem nullibi *ῥητῶς* extare, *Deum esse infinitum*; attamen æquipollentibus verbis absoluta Dei infinitas exprimitur. Not. 2. quòd dicitur: *absoluta Dei infinitas.* Non enim quantitatis aut extensionis intelligitur infinitas, sed essentiæ & perfectionis. Et quia Deus est Ens omnium perfectissimum, ipsum simpliciter & absolutè infinitum esse, vel absolutam essentiæ atque potentiæ infinitatem habere consequitur.

§. 83. Continetur autem hoc attributum in *Psal. 145, v. 3. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Jungatur *Baruch. ca. 3, v. 25. Magnus est* (scil. *Deus*) *& non habet finem, excelsus & immensus.* Inde sic argumentamur. Quidquid non habet finem seu terminum suæ perfectionis & virtutis, id omninò infinitum esse oportet. Sed Deus non habet finem seu terminum suæ perfectionis & virtutis. Er. Deum esse infinitum oportet.

§. 85. Idem hoc attributum Dei habetur apud Aristotelem in *12. Metaph. ca. 7. t. 41.* uti sic: *κινεῖ γὰρ τὸν ἄπειρον χρόνον*

οὐδὲν

οὐδὲν δὲ ἔχει δύναμιν ἄπειρον πεπερασμένον, h. e. *Nam infinitô tempore movet* (ſcil. ſubſtantia prima & æterna, ſive Deus.) *Nihil verò finitum potentiam habet infinitam.* Inde h. m. diſcurrimus, ſupponentes, Deum, ſicut (de ſententia Ariſtotelis) eſt ens à ſe, ita quoque eſt movens à ſe & independenter: quidquid verò ex ſe & independenter movet infinitô tempore, illud infinitum ſit, h. e. infinitam tùm eſſentiam, tùm potentiam habeat oportet. Sed Deus ex ſe & independenter infinitô movet tempore. Er. &c. Præterea: Ens movensque æternum non poteſt eſſe niſi infinitum. Sed Deus Ariſtoteli eſt Ens movensque æternum, ceu monſtratum. Er. Deus Ariſtot. non poteſt eſſe niſi infinitus, ſive infinitæ eſſentiæ.

XIII. Deus eſt Omnipotens.

§. 86. Hoc Dei attribntum tàm κατὰ τὸ ῥητὸν, quàm κατὰ τὴν διάνοιαν in Scripturis SS. contineri, certum eſt & indubium. Primò diſertè vocatur שדי ſeu Omnipotens, in multis V. T. locis. *Geneſ. 17. v. 1.* & *cap. 35. v. 11. Exod. 6. v. 3. Ezechiel. 10. v. 5.* & alibi. In N. T. vocatur παντοκράτωρ, in *1. Corinth. 6. v 18. Apocal. 1. v. 8.* Deinde per conſequentiam idem attributum ex Scripturis inferre poſſumus, ut quando *Matth. 19. v. 26.* dicitur, *apud Deum omnia ſunt poſſibilia.* & *Luc. 1. v. 37. apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum* (ῥῆμα) h. e. ulla res. (Vox enim ῥῆμα ad modum vocis דבר, & rem, & verbum ſignificat.) Inde datur argumentari: Is cui omnia ſunt poſſibilia, & apud quem ne ulla quidem res eſt impoſſibilis, eſt omnipotens. Deus eſt ille, cui omnia ſunt poſſibilia, & apud quem ne ulla res eſt impoſſibilis. Er. Deus eſt omnipotens.

§. 87. Idem hoc Dei attributum in Ariſtotele habetur, & per conſequentiam inde elicitur. Primò ex *antè cit. lib. 12. Metaph. c. 7. t. 41.* ubi duo Philoſophus proponit; 1. Deum movere infinitô tempore; 2. finini non eſſe infinitam potentiam; ex quo nos deducimus, infinitam potentiam eſſe infiniti.

niti. Debet enim illa proportionari ei, cujus est potentia. Argumentamur igitur: quidquid est Ens infinitum, illud pollet potentiâ infinitâ, quæ non est alia, quàm omnipotentia. Sed Deus est Ens infinitum. Er. pollet potentiâ infinitâ, &c.

§. 88. Nec obstat, quòd Aristot. d. l. loquatur de finito & infinito in quantitate; removet enim à Deo quantitatem, quòd quantitas in Deo nec finita esset, nec infinita. Hoc quidem verum est; at verò Aristoteles (suo modô loquendi) nobis exhibet Dei attributum, dum ait, primam substantiam movere tempore infinitô. Quod enim tempore infinitô movet movens, non potest esse nisi infinitum Ens. Quod autem est infinitum ens, non potest habere nisi infinitam potentiam. Præterea, istæ propositiones: *finiti non est nisi finita potentia*, &, *infiniti non est nisi infinita potentia*; omninò de finito & infinito ratione essentiæ & perfectionis sunt intelligendæ. Denique hæ propositiones sunt convertibiles; *quidquid est Ens infinitum, illud gaudet potentiâ infinitâ*, & vicissim; *quidquid gaudet potentiâ infinitâ, illud est Ens infinitum*. Quarum prior à priori se habet; est enim infinitas essentiæ causa (causa propter quam) infinitæ potentiæ; posterior à posteriori.

§. 89. Deinde elucet apud Aristot. Dei omnipotentia ex operibus ab ipso *in lib. de Mund.* descriptis, quæ non nisi Omnipotenti Deo competunt. Sit syllogismus: Quicunque Deo attribuit opera, quæ non nisi infinitæ sunt potentiæ, ille eo ipso omnipotentiam Deo attribuit, sive ejus omnipotentiam statuit. Sed Aristoteles Deo attribuit opera, quæ non nisi infinitæ sunt potentiæ, vel, quæ non nisi ex omnipotentia proficiscuntur. Er. Aristot. Deo attribuit Omnipotentiam, &c.

§. 90. Porrò *l. 9. Metaph. ca. 1.* sic tradit Philosophus:

πλεόν ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν μόνον λεγομένων κατὰ κίνησιν h.c. *plura complectuntur potentia & actus, quàm quæ solùm ex motu dicuntur.* Ubi Philosophus statuit potentiam effectivam, quæ à motu & subjecto est independens. Antequàm autem argumentum struamus, notamus quòd sicut *effectio* sive *productio*, ita & *potentia effectiva* sive *productiva* est duplex: *vel* enim est dependens à subjecto, & conjuncta cum motu, *vel* non. Utraque productio, adeoque utraque potentia productiva in Deum cadit; ille tùm dependenter à subjecto, tùm citra dependentiam ab eo, aliquid producere novit; Agentia verò naturalia tantùm dependenter à subjecto faciunt, quidquid faciunt.

§. 91. Inde tota factibilium, h. e. eorum quæ fiunt sive fieri possunt, latitudo tùm desumitur, tùm dijudicatur. Quia enim productio passiva activæ, & vicissim, productio activa passivæ respondet, ideò quidquid est factibile, sive quidquid effici fierique gestit, id aut fit dependenter à subjecto & motu, aut independenter. Hinc argumentor: Cujus potentia effectiva se extendit ad omnia factibilia, ille est infinitâ potentiâ præditus, vel, quod idem est, ille est omnipotens. Sed Dei potentia effectiva (de sententiâ Aristot.) se extendit ad omnia factibilia. Er. Deus (de sententiâ Aristot.) est infinitâ potentiâ præditus, sive omnipotens. Major est indubiæ veritatis; Minor probatur; Cujus potentia effectiva se extendit tàm ad illa, quæ fiunt independenter à subjecto, quàm ad illa, quæ fiunt dependenter ab eo, illius potentia effectiva se extendit ad omnia factibilia. Sed juxta Aristot. Dei potentia effectiva se extendit tàm ad illa, quæ fiunt independenter à subjecto, quàm ad illa, quæ fiunt dependenter ab eo. Er. potentia Dei effectiva se extendit ad omnia factibilia.

§. 92. Qua in re non est, ut de Minore quis dubitet. Etenim quantum ad illa, quæ fiunt dependenter à subjecto

&

& motu, proſtant Dei opera, quæ Ariſtoteles in lib. de Mundo Deo attribuit. Illa ſanè citra dependentiam à ſubjecto non fiunt, aut fieri poſſunt. Quantum verò ad illa, quæ fiunt & fieri geſtiunt independenter à ſubjecto & motu, ea cui agenti attribues, præterquàm Deo Ejusque Omnipotentiæ? Et cujus, quæſo, Entis atque agentis intuitu Ariſtoteles dixit, potentiam & actum plura complecti, quàm ea, quæ ex ſubjecto & motu petuntur? Verbô: Deum reſpexit, Dei potentiam indigitavit, nullam aliam, vel, nullius alius Entis potentiam.

§. 93. Agmen claudat egregium illud Ariſtotelis, quod legitur in *lib. de Mund. ca. 6.* τῦτο χρὴ περὶ Θεῦ διανοεῖσθαι δυνάμει μὲν ὄντος ἰσχυροτάτου, *Ita oportet de Deo exiſtimare, ut ſi potentiam ſpectes, ſit potentiſſimus.* Hæc Ariſtoteles nobis ad ſtatuminandum Divinæ omnipotentiæ attributum, largiter ſuppeditavit.

XIV. Deus eſt immenſus, adeoque ubique præſens ſive omnipræſens.

§. 94. Immenſitatis attributum, quantum quidem nobis conſtat, in Scriptura S. expreſsè nō invenitur, præterquàm in *Baruch ca. 3. v. 25* ubi ſic: *magnꝰ eſt Dominus, & non habet finem, excelſus & immenſus.* Ubi quatuor de Deo dicuntur; quòd magnus ſit; quòd non habeat finem; quòd excelſus, quòd item immenſus ſit. Videtur autem immenſitas Dei deduci poſſe ex *Pſal. 135. v. 3. magnus eſt Dominus, & magnitudinis ejus,* uti Vulgata habet, *non eſt finis.* Quod vero ita magnum eſt, ut ejus magnitudo non habeat finē, id omninò immenſum eſt.

§. 95. Sed inquis: in antecedentibus *Dei infinitas* ex hoc ipſo dicto monſtrata fuit; igitur ex eodem non monſtrabitur Ejus *immenſitas.* Contrà: quid cauſæ eſt, cur non utrumq; hoc Dei idioma in allegato dicto contineri dicamus? Cur non tàm de magnitudine perfectionis & virtutis ipſum lo-

loqui dicamus, quàm de magnitudine essentiæ? Porrò: Quæ essentia ita est magna, ut magnitudinis suæ nō habeat finem, ipsam tùm infinitam, tùm immensam esse oportet. Et præterea immensitas infinitatem includit. Ut hoc ipso, quô essentiam immensam dicis, dicas quoque infinitam.

§. 96. Jungimus *2. Paralip. 2. v. 5. & 6. magnus est Deus noster super omnes Deos: quis ergo poterit valere, ut ædificet ei domum? Nam Cœli Cœlorum cum capere nequeunt* &c. Quæ ipsa verba quoque extant *in 1. Reg. 8. v. 27.* Qui verò ita magnus est, ut ipsum Cœli Cœlorum non capiant, nec capere possint, annon is immensus erit, vel immensæ essentiæ sive substantiæ?

§. 97. Non obstat ergo, quòd aliqui ista & similia Scripturæ dicta de magnitudine perfectionis & virtutis accipiunt. Etenim 1. verba citata de ipsa Dei substantia intelligenda esse, totus contextus testatur. 2. Unius positio non statim est alterius exclusio. 3. Esto; si de immensitate perfectionis; Er. tùm quoque Deus est essentiâ immensus. Quò enim perfectior est substantia spiritualis, eò perfectiorem habet præsentialitatem sive adessendi modum. Si ergo magnitudo perfectionis in Deo est infinita, oportet, ut quoque Deus habeat infinitam præsentialitatem, quæ longè maxima est perfectio, & nihil aliud, quàm ipsa immensitas. 4. ne quidem realiter differunt perfectio Dei (sicut & virtus Dei) & Essentia Dei; ut, quia illa est immensa, etiam hæc sit immensa oportet. Imò 5. infinita sive immensa perfectio (infinita virtus) infinitam essentiam supponit. Ut proinde jure argumenteris: Cujus Entis infinita & immensa est perfectio atque virtus, illius Entis infinita quoque & immensa est essentia, vel, quod idem est, illud Ens infinitum atque immensum est. Sed Dei perfectio & virtus est infinita atque immensa. Er. ipsa quoque Dei Essentia est infinita atque immensa.

§. 98.

§. 98. Atque inde ostenditur *Dei Omnipræsentia.* Qui enim immensus est infinitâ immensitate essentiæ suæ, ille per essentiam suam est ubique. Sed Deus est immensus infinitâ immensitate essentiæ suæ. Igitur Deus per essentiam suam est ubique. Major est principium, & sumitur ex ratione formali immensitatis; Minor petita est ex allegatis Scripturæ locis. Quibus jungimus alia clarissima loca, nimirum *Psal. 139. v. 7. seqq. quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? &c.* & *Jerem. 23. v. 23. & 24. nunquid Deus de propinquo ego sum, & non Deus de longinquo? num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum? annon Cælum & terram ego impleo?* Et *Josuæ ca. 2. v. 11.* dicitur, *Deum in Cœlis suprà, & in terra infrà esse.*

§. 99. Hoc ipsum antè §. 96. citatis dictis quoq; continetur. Duo enim illis involvuntur: 1. Deum ratione substantiæ suæ non posse contineri exiguâ aliquâ domo, quòd tantus sit, ut ob immensitatem suam ne vastissimô quidem corpore capi queat; 2. indigitatur. Deum ubique præsentem esse ratione essentiæ suæ, atque adeò etiam providentiâ & gubernatione toti Naturæ præesse.

§. 100. Sed de Aristot. dispiciamus, &, cùm hæc Dei idiomata κατὰ λέξιν apud ipsum non inveniantur, ex ejus doctrinis, & genuinis principiis Aristotelicis eadem eruamus. Primò quidem ex operationibus Dei argumentum duci solet. Ipsum autem sic habet: Omne agens est præsens rebus, in quas operatur. Deus est agens, & quidem universale, efficiens omnia, & in omnibus. Er. Deus est præsens omnibus rebus. *Major* videtur esse *Aristot. l. 7. Phys. c. 2. t. 10.* ubi *movens & motum simul esse* ait. *Minor* constat ex multis locis Aristotelis, præcipuè verò ex *l. de Mund. c. 6. & 7.*

§. 101. Ubi hujus argumenti propositio Major gravi dissidio occasionem præbuit. Disputari enim inde cœptum est; *an ex agentis actione sive operatione rectè inferatur ejus præ-*

sentia ad passum, ita quidem, ut ubicunque aliquid operatur, ibi etiam præsens sit quoad essentiam? Diffident hîc Thomas & Scotus, quorum ille cum suis asseclis affirmat, hic verò negat, quem ipsius quoque sequuntur sectatores. Missô igitur hoc argumentô, quod omninò infirmum est, ex aliis Arist. locis hoc negotium conficimus.

§. 102. Argumentum desumitur ex gemina Aristotel. hypothesi, quæ utraque Philosopho est certissima. Una est in *cit. l. 7. Phys. ca. 2. t. 10. primum movens cum eo, quod movetur, simul est*, ita quidem, ut inter ipsa nihil intercedat; altera est in *l. 8. Phys. c. 5. t. 34. tota series moventium & mobilium dependet ab uno primo motore, qui non movetur ab alio, sed ipse omnia alia à se movet*. Inde jam conficimus Syllogismum: Primus Motor est simul & indistanter cum omnibus mobilibus. Sed Deus est primus Motor, & omnia in toto hoc Mundo respectu ejus sunt mobilia. Er. Deus simul & indistanter est cum omnibus rebus in toto hoc Universo. Quo in negotio *Major* & *Minor* sunt Aristotelis, & juxta ipsum utraque est certa, ut quoq; juxta ipsum certam oporteat esse conclusionẽ. Dictum: *juxta Aristotelem*; etenim licèt prior hypothesis à nonnullis vocetur in dubium, Aristoteles tamen ipsam pro certâ habet; unde etiam id, quod ex ea sequitur, pro certo habeat necesse est.

§. 103. Imò Deum, ubicunque est, ibi totum secundùm suam substantiam esse vult Aristoteles. Veluti enim anima rationalis, quia quantitatis & partium expers est, ubicunque est, ibi tota est; ita multò magis Deus, qui est ἀμερὴς seu sine partibus, *lib. 12. Metaph. c. 7. t. 41.* ubicunque est, ibi secundùm totam suam substantiam existit. Deus igitur juxta Arist. ubique est indivisibiliter, quamvis spatia, in quibus est, sint distincta. Infinitam igitur, juxta Aristotelem, ubicationem Deus habet, eamque indivisibilem, quod ideò est, quia infinitus atque immensus est. Atque hæc egregia nobis suppedi-

pedi-

peditavit Aristoteles, ut omninò etiam quò hæc Dei attributa, sit consentiens Scripturis Sacris.

XV. Deus est invisibilis.

§.104. *Dei invisibilitatem* quoque videbimus, illamq; æquè ex Aristotele, ac ex Scriptura S. ostendemus. Hæc expresse Deum ἀόρατον seu *invisibilem* nominat, *1. Timoth. 1, v. 17. Coloss. 1, v. 15. Ebræor. 11, v. 27.* Et in V. T. nimirum *Exod. 33, v. 20.* ubi Deus ad Mosen: *non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet.* Ubi *facies Dei* non significat nubem aut columnam nubis, in qua Deus præsens erat, quomodo accipiebatur in *d. cap. v. 14.* Sed denotat ipsam *Dei essentiam.* Inquit enim: *non videbit* ME *homo, & vivet.* Huc quoque pertinet, quòd Divus Apostolus *Rom. 1, v. 19.* dicit *invisibilia Dei,* nempe *æternam ejus potentiam ac Divinitatem,* quæ ex creatione Mundi & per visibilia opera percipiuntur.

§.105. Similia reperire licet in Aristotele, & quidem in ejus *lib. de Mund. ca. 6.* ubi exertis ait verbis: ὁ πάντων ἡγεμὼν τε καὶ γενέτωρ ἀόρατος ὢν πλὴν λογισμῷ, h. e. *omnium princeps ac parens invisibilis nisi ratiocinatione,* vel, *ratione;* nimirum qui oculis corporeis videri nequit, mente cernitur, h. e. cognoscitur. Et rursus *l. d.* ait, Deum πάσῃ θνητῇ φύσει ἀθεώρητον, h. e. *omni mortali naturæ inaspectabilem* seu *invisibilem,* visibilem tamen per opera sua: quô egregiè cum *Rom. 1, v. 19. & 20.* concordat.

§.106. Idem per optimam consequentiam ex Aristotele deducimus, & quidem (1.) ex eo, quòd Deum immaterialem & à sensibilibus separatam ait esse substantiam. Hinc argumentum: quidquid est immateriale & à sensibilibus separatum, illud visu percipi nequit. Sed Deus juxta Aristot. est immaterialis & à sensibilibus separatus, sive, separata ab illis substantia. Er. Deus juxta Aristot. nequit visu percipi, vel,

vel, quod idem, eſt inviſibilis. (2.) Ariſtot. *lib. 2. de an. ca. 7.* docet, adæquatum viſus objectum eſſe colorem, cui quidam, quamvis perperàm, addunt lucem. At verò neque color, neque lux eſt in Deo; corporis illa accidentia ſunt, non Spiritus, qualis eſt Deus. Igitur corporeis oculis percipi nequit Deus. Vel, fiat ſyllogiſmus h. m. Quidquid non eſt coloratum (addo, nec lucidum) illud nec eſt viſibile. Sed Deus Ariſtoteli non eſt coloratus, nec lucidus. Er. &c. In hac argumentatione nec Major, nec Minor probatione egent.

XVI. *Deus eſt vivens, vel vivus.*

§. 107. Not. quòd dictum; *vivens vel vivus.* Poteſt enim vox, *vivens*, quantum ad præſens, dupliciter accipi: vel *ſubſtantivè*, & prout ſiſtit prædicatum quidditativum Dei; quærenti enim, quid eſt Deus? reſpondere licet: eſt vivens: ſic Ariſtoteles dixit, *Deum eſſe vivens æternum & optimum, l. 12. Metaph. c. 7. t. 39.* vel *adjectivè*, quomodo eſt prædicatum Dei qualitativum, ita loquendo. Quærenti enim, qualis eſt Deus? reſpondemus; eſt vivens ſive vivus; quomodo in Sacris paſſim vox (*vivens*) ſumitur Scripturis. Sic ipſæ vocant Deum חי h. e. *viventem, Joſuæ 3. v. 10. Eſaiæ 37. v. 4. & 17.* Et in *Pſal. 42. v. 3.* dicitur: *ſitivit anima mea ad Deum vivum,* לאל חי. In N. T. vocatur Θεὸς ζῶν, *Deus* vivens vel vivus, *Actor. 14. v. 15.* In *1. Theſſal. 1. v. 9.* In *1. Timoth. 3. v. 15.*

§. 108. De Ariſtotele jam antè conſtitit, ut non opus ſit, pluribus laborare. Sufficit unus locus, *lib. 12. Metaph. c. 7.* aliquotes hactenus citatus. Jungimus verò *libr. de Mund. ca. 7.* ubi dicitur, quòd Deus ſit ζωῇ ἀθάνατος, h. e. *vitâ immortalis;* ubi Deo non ſolùm vita tribuitur, verùm quoque immortalis & perpetua vita, quæ non poteſt deſinere. Imò Deo operationem vitalē tribuit Ariſtoteles, nimirum intellectionem, *lib. 12. Metaph. c. 9.* Ut rectè inde argumenteris: quicunq; tribuit Deo operationem vitalem, is Deo attribuit vitam.

Ope-

Operatio enim vitalis non poteſt eſſe ſine vita. Sed Ariſtot. Deo attribuit operationem vitalem, ſcil. intellectionem. Er. Ariſtot. Deo attribuit vitam. Imò vitam intellectualem Deo tribuit, quæ eſt vita ſpiritualis, ſimplex & pura, imò ſimpliciſſima & puriſſima, in ſimpliciſſimo Ente.

XVII. Deus eſt omniſcius.

§. 109. In Scripturis multa & præclara de hoc Dei attributo extant teſtimonia. Et quamvis ipſa vox inibi non reperiatur; tamen res ipſa clariſſimè deſcripta habetur. Nempe *Deus videt & cognoſcit omnia, noviſſima & antiqua, Gen. 31, v. 12.* & *Pſal. 139, v. 2. ſqq.* præcipuè *ver. 5.* &: *ejus oculi diſcurrunt in univerſam terram, Zachar. 4, v. 10.* & *reſpiciunt ſuper gentes, Pſal. 66, v. 7. contemplantur bonos & malos, Prover. 15, v. 3. Deus ſcit occulta noſtra, & cogitationes noſtras, Pſal. 90, v. 8.* & *Pſal. 94, v. 11.* Qui verò omnia cognita habet & perſpecta, etiam occulta hominum, &c. ille quidnî omniſcius ſiet?

§. 110. Sed de Scripturis SS. res certa eſt & indubia; quid verò fiet cũ noſtro Ariſtotele? Dubitare enim quis poſſet, an ipſe etiam docuerit, vel innuerit ſaltem, Deum etiã alia præter ſe, & quidem omnia cognoſcere? Videtur enim id negare in *l. 12. Metaph. c. 9.* quando ait: *ſive mens, ſive intellectio ejus ſubſtantia ſit, quid intelligit? aut enim ipſa ſeipſam, aut aliud. Utrum autem differt aliquid, an nihil intelligere bonũ vel quodcunq́; ? an verò ipſam de quibusdam cogitare abſurdum eſt? Manifeſtum ergo eſt, quod illud quod intelligit, diviniſſimum ac honorabiliſſimum.* Et infrà: *quædam meliùs eſt non videre, quàm videre: alioquin non fuerit optimum intellectio. Seipſam ergo intelligit, ſi eſt quidem, quod eſt optimum.*

§. 111. Verùm quidquid ſit hujus rei, quam ſuo locô expeditam dabimus, certi ſumus, Philoſophum de Scientia & Omniſcientia Dei, quamvis ipsâ voce non fuerit uſus, rectè ſenſiſſe, id quod ſtatim manifeſtum reddemus. Primò,

Aristoteles non solùm novit, verùm expresè statuit, Deum esse causam omnium quæ sunt & fiunt; insuper statuit, Deum omnes res conservare in esse suo; imò statuit, Deum esse intelligentis naturæ, sive intellectu & voluntate præditum, ipsumque omnia quæ facit, per intellectum & voluntatem facere. Quis verò adeò demens erit, ut dicat, Aristotelem negâsse, vel non concessisse, Deum omnia illa cognita habere, quæ effecit, & adhuc facit, quæ item conservat &c.

§. 112. Deinde, Aristoteles pro absurdo habet, aliquid à nobis cognosci, quod non cognoscatur à Deo. Sic enim *l. 3. Metaph. c. 4. t. 15.* & *l. 1. de an. ca. 5. t. 80.* contra Empedoclem: Si solus Deus unum elementorum non cognoscit, nempe discordiam, mortalia autem cuncta cognoscit, cum ex universis singula constent, oportet, ut Deus sit insipientissimus. Consequens verò absurdum est; Er. & antecedens.

§. 113. Denique Philosophus tribuit Deo providentiam & curam rerum humanarum, quando (1.) ait, eum Deo charissimum esse, qui ex intellectu operatur, uti habet *l. 10. Ethic. Nic. ca. 9.* quando (2.) ait, Deum maximè prudentibus immittere, si immittit, somnia, in *lib. de Divin. ca. 1. & 2.* quando (3.) statuit, Deum meritis bona atque mala distribuere, *l. 2. M. M. ca. 8.* Juxta Aristot. ergo Deus illos, qui 1. ex intellectu operantur, qui 2. prudentes sunt, quique 3. bona vel mala agunt, cognitos habebit; aut admittenda hæc absurda, Deum amare quempiam, quem non novit; insuper Deum præmia dare illis, quorum nullam habet notitiam; quæ ab Aristot. sunt alienissima.

§. 114. Verbô: Ex operibus & operationibus, quas Philosophus Deo attribuit, conspicuum est, ipsum Dei & cognovisse & agnovisse Omniscientiam. Qui enim, juxta Aristotelem, est autor omnium rerum in Mundo, qui omnia conservat, ordinat & gubernat, qui retribuit bona benè agenti.

gentibus, & mala malè agentibus, intelligentis (juxta eundem) existens naturæ, perfectisſimumq; habens intellectum, ille, juxta Arist. omnia ista exquisitè habet cognita, adeoque juxta ipsum est Omniscius. Sed Deus, juxta Arist. est autor omnium rerum in Mundo, omnia conservans, ordinans & gubernans, retribuens bona & mala hominibus, &c. Er. Deus, juxta Aristot. est Omniscius.

§. 115. Denique hæc duo ex Arist. consideranda & conjungenda propono; 1. Dei intellectum; 2. ejus infinitatem. De hac antè constitit; illum statuit Philosophus sæpè *cit. lib. 12. Metaph. c. 7. t. 39. Cæterùm vita* (Deo) *profectò quoq; inexistit, siquidem intellectus operatio vita est.* Conf. *l. 10. Ethic. Nicom. ca. 9.* Annon verò quodcunque ens juxta Aristot. naturam seu essentiam tùm infinitam, tùm intelligentem habet, idem, juxta ipsum, infinitam quoque habet scientiam. Atqui Deus juxta Arist. naturam tùm infinitam, tùm intelligentem habet. Er. Deus juxta Arist. infinitam habet scientiam. Infinita autem scientia quæ est alia, quàm Omniscientia, sicut infinita potentia non est alia, quàm Omnipotentia.

XVIII. Deus est sapiens, imò Omnisapiens.

§. 116. Scriptura S. Deo sapientiam tribuit. Sic enim *Psal. 104, v. 24. omnia in sapientia* (בחכמה) *fecisti;* & *Jer. 10, v. 12. qui stabilit orbem in sapientia sua.* In N. T. *Rom. 16. v. 27.* expresſè dicitur, *σοφὸς* seu *sapiens*, & quidem *solus sapiens, 1. Tim. 1, v. 17.* cum solus à seipso perfectè & secundùm essentiam sapiens sit, sicut quoque solus bonus esse, & solus immortalitatem habere dicitur.

§. 117. *Sapientiam* in Deo agnovisse Aristotelem, dubium est nullum, idque manifestum evadit ex seqq. Primò, in *l. 1. Metaph. c. 2.* Deum divinisſimam & honorabilisſimam scientiam, quam suprà dixerat esse *σοφίαν* seu sapientiam, aut

 solum,

ſolum, aut præcipuè habere affirmat. Deinde, id docere videtur, dum *l. 3. Metaph. c. 4.* Empedoclis reprehendit ſententiam, ex qua ſequitur, feliciſſimum Deum (τὸν εὐδαιμονέστατον θεὸν) minùs ſapientem cœteris eſſe, cùm τὸ νεῖκος ſeu diſcordiam non cognoſcat. Denique, Ariſtot. Deo tribuit, quòd habeat perfectiſſimam Entis naturâ perfectiſſimi, h. e. ſui ipſius ſcientiam, *l. 12. Metaph. c. 9.* Et non cognitam agnitamve habuerit in Deo ſapientiam Ariſtoteles?

§. 118. Sed neque hoc ſilentii pede prætereundum nobis eſt, quòd Deus Ariſtoteli eſt excellentiſſimus totius machinæ mundanæ artifex, rerum conditor & ſervator, cauſam incolumitatis univerſis rebus præſtans, qui ſummô mundum imperiô obtinet, qui omnia ordinat & gubernat, qui id eſt in Mundo, quod lex in Civitate, quod dux in Exercitu, &c. *l. de Mund. c. 6.* Annon qui Ariſtoteli talis eſt, is eidem quoque σοφὸς, imò πάνσοφος, πανοῦργος, καὶ πάνυ φρόνιμος, πανυπείροχος, πανυπέρτατος, &c habetur?

XIX. Deus eſt voluntate, eâque liberrimâ, præditus.

§. 119. Scripturam Sacram quod attinet, loquantur *Pſal. 115. ver. 3. Paſm. 135, v. 6. Omnia quæ voluit fecit, in Cœlo & in terra, in mari & omnibus abyſſis.* Addatur *1. Tim. 2, v. 4.* Idem teſtantur opera Dei, uti ſunt ſervatio Noë in diluvio, maris rubri diviſio, populi Iſraëlitici liberatio, &c. quæ cuncta ex liberrima Dei voluntate profecta fuiſſe quis dubitet. Qua in re notatu quàm digniſſimum eſt, quòd hominem quoque condidit liberum Deus, ut ejus in ipſo reluceret imago.

§. 120. Sed quomodo, inquis, ex Ariſtotele hoc Dei attributum oſtendis? Optimè omninò, & clariſſimè. Primò, ſicut aliàs, juxta Ariſtot. voluntas cum intellectu conjuncta eſt, ita juxta eundem, in Deo ſe rem habere quilibet facilè colligit. Nimirum qui intellectu pollet, idem & voluntate.

tate. Præterea, id inculcat Philoſophus, dum *l. 10. Ethic. Nic. c. 9.* Deo amorem, qui in intellectu præditis actus voluntatis eſt, erga ſapientes tribuit. Et *in l. de Mun. ca. 6.* ubi ſic: *quippe qui* (Deus) *in immobili collocatus, omnia movet & circumagit,* ὅπου βούλεται καὶ ὅπως, h. e. *ubicunq; & quomodocunq; vult, idq; diverſis in formis ſimul atq; naturis.* Res tota clara eſt & manifeſta. Si enim omnia movet Deus, ubicunque & quomodocunque vult, uti Ariſt. *d. l.* tradit, utique ipſum voluntate præditum eſſe conſequitur.

§. 121. Sed quæris: quomodo verò ex Ariſtotele conſtat de libertate agendi in Deo, ſive, quòd Deus ſit liberum, imò liberrimum agens? Reſp. Id 1. conſtat ex ipſa voluntate. Hæc enim non niſi libera eſt. Qui ergo in Deo voluntatem ſtatuit, is eo ipſo voluntatis libertatem ſtatuit. 2. Cum in Deo, qui juxta Ariſtot. infinitè perfectus eſt, perfectiones, ſimpliciter tales quæ ſunt, contineantur formaliter, etiam voluntatis libertatem, quæ eſt perfectio ſimpliciter, nullamque (juxta rationem ſuam formalem) imperfectionem involvit, in ipſo formaliter reperiri neceſſe eſt. 3. Repetimus *lib. 10. Ethic. Nic. ca. 9.* & *l. 2. M. M. ca. 3.* ubi talia Deo attribuuntur, quæ non neceſſitatis, verùm libertatis munia ſunt.

§. 122. Sed adſcribamus ea, quæ Philoſophus tradidit, ut quilibet videat, nec quod deſideret, habeat. In priori loco ita tradit: *qui mente agit, & eam colit, Deo chariſſimus videtur eſſe. Si enim aliqua cura rerum humanarum à Diis ſuſcipitur, quemadmodum videtur, conſentaneum etiam erit, gaudere ipſos eo, quod optimum, & eo, quod ipſis maximè cognitum, qualis mens: atq; eos, qui ipſam maximè amant & honorant, remunerari, ut qui curam gerant eorum, quæ ipſis amica ſint, & rectè atq; honeſtè agant.* In poſteriori ait, Deum bona malaque diſtribuere meritis. τὸν γὰρ θεὸν ἀξιοῦμεν κύριον ὄντα τῶν τοιούτων, τοῖς ἀξίοις ἀπονέμειν καὶ τἀγαθὰ καὶ τὰ κακά, h. e. *talium ſiquidem*

 domi-

dominum facimus Deum, ut bona malaque meritis distribuat.

§. 123. Si nunc Aristoteles docet, 1. Deo quosdam hominum esse charissimos, 2. ipsum curam rerum humanarum gerere, 3. remunerari illos, qui rectè atque honestè agunt, 4. tàm bona quàm mala, talia merentibus, distribuere, &c. ipsum liberum agens esse consequitur. Talia enim qui præstat, & taliter qui agit, ipsum libertate voluntatis gaudere certum est.

§. 124. Deum verò, juxta Aristotelem, summâ voluntatis libertate pollere, ipsumque adeò liberrimum agens esse, ex eo desumitur, quòd Aristot. Deo, tanquam primo & perfectissimo Enti, omnia in summo gradu & in summa perfectione tribuit, vel tributa vult; Er. summam quoque libertatem. Sic Deum vocat optimam & honorabilissimam substantiam, qui, tanquàm potentissimus, omnia summô continet imperiô. Potissimum est & huc quadrantissimum, quòd *l. 12. Metaph. c. 7.* concludit, *Deum habere vitam optimam & perfectissimam, quia intellectus ejus est perfectissimus*, uti observat Thomas *par. 1. sum. q. 18. ar. 3.* Cui verò enti perfectissima vita & intellectus perfectissimus convenit, illud non potest non habere quoq; perfectissimam voluntatem. Non autem est voluntas perfectissima, nisi liberrima. Atque sic ex Aristot. summam voluntatis libertatem in Deo ostendimus.

XX. *Deus est bonus & clemens.*

§. 125. Celebre in Scripturis hoc est Dei epitheton, & vel in unius Prophetæ Davidis Psalmis quàm sæpissimè invenitur; in Aristot. verò expresè non habetur, quà rem ipsam verò in ipso continetur. Primò, ex *l. 10. Ethic. ca. 9.* (§. 122. citato) ita argumentari datur: quicunque remuneratur eos, qui amant & honorant Mentem, illum bonum esse oportet. Remunerari enim non est nisi illius, qui bonâ & beneficâ

erga aliquem est mente. Sed Deus, dicente Aristot. remuneratur eos, qui Mentem amant & honorant. Er. Deum bonum esse oportet.

§. 126. Deinde, *in l. de Mund. ca. 7.* Deo inter alia hæc tribuit, quòd sit ἑταιρεῖός τε καὶ φίλιος, καὶ ξένιος, καθάρσιός τε, καὶ ἱκέσιος, καὶ μειλίχιος, h. e. *sodalitius* & *amicitiæ præses*, *hospitalis*, *expiator*, *supplex* & *placabilis*. Qui verò aliquem talibus insignitum it titulis & encomiis, ille eum bonum prædicat & clementem. Accedit denique, quod Aristot. ibidem Deum *servatorem* & *assertorem* rerum vocitat, quod etiam in *antec. ca. 6.* fecerat; quæ nomina non nisi Domino, qui bonus sit, competunt.

XXI. *Deus est justus.*

§. 127. *Justitia* attributum in Scripturis SS. est celeberrimum, ut de Aristotele solummodò dispiciendum nobis. Elegantissimus verò est locus in *l. 2. M.M. c. 8.* ubi hæc habentur: *talium Dominum facimus Deum, qui bona & mala meritis distribuit. At fortuna, & quæ à fortuna prorsùs, ut nomen indicat, ceu sors tulerit, fiunt. Quòd si hujusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum judicem faciemus, neq; justum; id verò nefas Deo deputare.* Jungimus *l. 2. Rhetor. c. 5.* τὸ θεῖον seu *Numen Divinum existimatur auxiliari illis, qui injuriam accipiunt.*

§. 128. Hisce Aristotelcis distincti Justitiæ actus exprimuntur, Deoque attribuuntur; 1. rectè judicare, 2. bonis bona, 3. malis mala retribuere, sive malos punire; 4. injuriam passis subvenire & auxiliari. Qui verò Deo actûs justitiæ adscribit, ille utique Deum justum statuit & declarat. Sed Arist. Deo actûs justitiæ adscribit. Er. &c.

§. 129. Jungimus *l. de Mun. c. 6.* ubi Deum καθαρὸν, *purum*, h. e. omnis labis expertem vocat; & *cap. seq. 7. potestatem Divinam* dicit *ejus, quod visum est, cuiq; distributricem.*

Optimè

Optimè verò finit caput, totumque librum, ajens, *Deum rectâ lineâ incedere*, (Scriptura S. vocat rectum & justum,) *& è vestigio habere comitem præsidem justitiæ, quam Dicen nominaverunt, divinæ legis vindicem*, &c. Quæ, alia ut mittamus, Deum ab Aristotele justum habitum & declaratum fuisse, satis ostendunt.

Articulus III.

De prædicatis Dei respectivis.

§. 130. Hactenus *prædicata Dei absoluta* consideravimus, eaque ex Aristot. monstravimus, probavimus; supersunt paucula quædam, *respectiva* vel *relativa* dicta, quòd respectum ad creaturas involvant, earumque tùm esse, tùm conservationem, ordinationem & gubernationem concernant. Quæ ipsa seq. ordine exponemus.

I. Deus est causa omnium.

§. 131. Sciendum in limine, propositionem esse intelligendam de *causâ efficiente*; ceu tàm ex Scripturæ S. quàm ex Aristotelis testimoniis manifestum evadet. *Esaiæ c. 66, v. 2. Omnia hæc* (cœlum scil. & terram, de quibus *ver. 1.* locutus fuerat, & quæ illis continentur) *manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus.* Similiter legimus in *Ecclesiastic. c. 43, v. 37. Omnia Dominus fecit*, &c. Jungatur *Roman. 11, v. 36. ex illo* (Deo) *& per illum sunt omnia.* Illum verò, ex quo & per quem sunt omnia, omnium causam efficientem esse oportet.

§. 132. Scripturis Sacris & quà rem & quà verba consentientissima tradit Aristoteles, Deo Mundi constitutionem tribuens *in l. de Mun. cap. 6. init.* sic scribens: ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ τὰ πάντα καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν, h. e. *vetus igitur sermo est, à majoribusque proditus inter omnes homines, universa tùm ex Deo, tùm per Deum constituta esse.* Illum verò, ex quo & per quem omnia constituta

tuta sunt, omnium rerum causam & authorem esse oportet. Id quod etiam in *seq. ca. 7.* disertis Philosophus ait verbis: πάντων αὐτὸς αἴτιος ὤν; h. e. *omnium rerum causa existens.*

§. 133. Qua in re notatu dignum est, quòd Aristot. hoc nomine præ aliis Philosophis laudat & commendat Anaxagoram, quòd nimirum Intellectum (Mentem) h. e. Deum causam Mundi esse docuit, in *l. 1. Metaph. c. 3.* Ita habet μετάφρασις: *ut entia benè se partim habeant, partim fiant, nec ignem fortassis, nec terram, nec alìud hujusmodi quidquam verisimile est arbitrari, nec rursus casui & fortunæ rem tantam attribuere, probè se habet. Quare qui ut in animalibus, ita & in natura Intellectum causam & Mundi totiusq́; ordinis dixit, quasi sobrius apparuit collatus cum antiquis vana dicentibus. Istas autem rationes, qui palam attigit, Anaxagoram fuisse scimus.* Confer *l. 2. Phys. t. 44. sqq.*

II. Deus est Creator Cœli & terræ.

§. 134. Scripturæ Sacræ in initio statim, nimir. *Genes. 1. v. 1.* & alibi pluries (*Ps. 146. v. 6. Esa. 44. v. 24. Actor. 4. v. 24. Actor. 17. v. 24.*) hoc tribuunt; quibus Aristoteles consentientia proponit, inquiens *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* ἐκ τοιαύτης ἄρα ἀρχῆς ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, h. e. *à tali ergo principio* (quod Deum esse ibid. dicit) *tùm Cœlum tùm tota Natura dependet.* Faciunt huc, quæ habentur *d. l. ca. ult. si non erunt alia præter sensibilia, non erit principium & ordo & generatio, & cœlestia, sed semper principii principium.* Quibus verbis, inquit Fonseca in *h. l. com.* (Aristoteles) Cœlorum conditorem videtur Deum agnoscere.

§. 135. Sed inquis: pulchrè quidem Aristoteles; an verò is Creationem Mundi cognitam habuerit, adeoque Deum ejus Conditorem agnoverit, dubium est vel maximè. At verò hæc difficultas seq. Disp. tractabitur & enodabitur. In præsentiarum reliqua Dei opera spectabimus.

III. Dei Providentia.

§. 136. Deum perpetuò suo operi adesse, neque abeo discessisse, quemadmodum architectus ab extructa domo, relinquens eam inhabitantibus, attestantur illa Scripturæ dicta, (quibus sententiæ quoque Aristotelis accinunt) quæ de *conservatione, ordinatione* & *gubernatione* Divinâ loquuntur. Accedunt Dei opera, quotidiè nobis ob oculos versantia, qualia sunt sustentare creaturas, dare animantibus cunctis alimenta, dare & conservare hominibus vitam, curare res humanas, &c.

§. 137. Talia Dei opera etiam Aristoteles *in lib. de Mundo* recenset, præcipuè quòd ait, Deum cunctas res servare, & cunctis esse incolumitatis causam. Imò, quod omnium potissimum est, Deo providentiam & curam rerum humanarum adscribit *in l. 10. Ethic. Nic. c. 9. qui mente agit, eamq́ colit, Deo charissimus videtur esse. Si enim aliqua cura rerum humanarum à Diis suscipitur, quemadmodum videtur, consentaneum etiam erit, gaudere ipsos eô, quod optimum, & eô, quod ipsis maximè cognitum, qualis est mens: atq́ eos, qui ipsam maximè amant & honorant, remunerari, ut qui curam gerant eorum, quæ ipsis amica sint, & rectè atq́ honestè agant.*

§. 138. Quia verò *providentia Divina* potissimûm complectitur tres actûs, uti nuper quoque indigitavimus, *σωτηρίαν* seu *conservationem*, *διάταξιν* seu *ordinationem*, & *διοίκησιν* s. *gubernationem*; istas Dei actiones ordine videbimus, & ex Arist. æquè ac ex Scripturis SS. ostendemus.

IV. Deus est conservator rerum à se conditarum.

§. 139. Notet. quòd *Deum esse conservatorem omnium rerum*, sive ipsum *conservare omnes res*, possit dupliciter intelligi: *vel* in specie, *vel* individuo; h. e. ut *vel* singulas species, *vel* singula singularum specierum individua conservare dicatur. Utroquenomine Deum conservatorem rerum esse,

tàm

tàm Scriptura S. quàm Ariſtot. volunt ſtatuuntque, ceu ex citandis teſtimoniis manifeſtum evadet.

§. 140. In Scripturis SS. res decantata eſt. Unum atque alterum nos adjungimus, & cum Ariſt. conjungimus. *In ipſo omnia conſiſtunt*, τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε, Lutherus: In Ihm beſtehet alles. *Coloſſ. 1. v. 17.* Quæ Apoſtoli verba optimè conveniunt cum illis Ariſtotelis in *d. l. de Mund. c. 6.* ἐκ Θεοῦ τὰ πάντα, καὶ διὰ Θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν, h. e. *univerſa tum ex Deo, tum per Deum conſtituta.* Nimirum ex quo & per quem ut eum, qui eſt omnium rerum principium, omnia ſunt conſtituta, per ipſum quoque omnia conſiſtunt. Per Deum ut eum, qui eſt omnium rerum principium, omnia ſunt conſtituta. Er. per ipſum quoque omnia conſiſtunt & conſervantur. Id quod Philoſophus in ſtatim ſeqq. docuit verbis: οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας, h. e. *Nulla eſt natura, quæ ſibi ſufficiens ſit, ſi Dei conſervatione deſtituatur.*

§. 141. In *Actor. 17. v. 28.* ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμέν: *In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Etiam Ariſtot. Deum habet pro illo ipſo, δι' ὃν ζῶμεν, i. e. *per quem vivimus, d. l. de Mund. c. 7.* Ut ſic iterum Ariſtotelem Scripturis SS. quà rem, quà verba habeamus conſentientem. Per quem vivimus, per eundem quoque conſervamur. At per Deum (juxta Ariſt.) vivimus. Er. &c. Imò *h. ipſo ca. 7.* diſertis verbis Deus vocatur σωτὴρ καὶ ἐλευθέριος, *ſervator & aſſertor.*

§. 142. Addimus ſpeciale Ariſtotelis dictum, ſpecierum conſervationem concernens. *In l. 2. de ort. & int. c. 10. t. 59.* Τῷ λειπομένῳ τρόπῳ συνεπλήρωσε τὸ ὅλον ὁ Θεὸς, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν, *reliquô modô Deus ipſe univerſum complevit, continuâ factâ generatione.* Nimirum Deus ipſe immensâ providentiâ ſuâ (ad quam ſpectat conſervatio rerum) conſtituit totum implere Mundum, atque ideò continuam eſſe gene-

rationem voluit. Sic quia homo juxta singularia, sive, quà individua, quæ corrumpuntur, perpetuus non est, per generationem fit, ut non desinat esse homo, sed conservetur species, docente Aristot. *l. 1. Oecon. c. 3.* ideò ὑπὸ τοῦ θείου i. e. *à Divino Numine utriusq; natura, tàm maris, quàm fœminæ, disposita est ad hanc societatem*, scil. nuptialem s. matrimonium.

V. Deus est Ordinator rerum à se conditarum.

§. 143. *In lib. Sap. c. 11. v. 21.* de Deo dicitur: *omnia in mensurâ numero & pondere* διέταξας, *ordinâsti*, vel, disposuisti. *Qui dat solem in lumen diei, ordinem* (חקת) *lunæ & stellarum in lumen noctis, Jerem. 34. v. 35.* qui ordo describitur *Genes. c. 1. v. 14. & 15.* Sicut autem in cœlesti, ita quoque in elementari Mundi regione ordinatio divina est conspicua, quæ tùm in *d. Genes. c. 1.* tùm in aliis Scripturæ locis, omnium verò clarissimè *Psal. 104.* (qui omninò legendus) describitur.

§. 144. Sed Aristotelem videamus, qui ordinem & ornatum corporum mundanorum Deo Conditori adscripsit, primò quasi in genere, tradens & docens, quòd sicut dux in exercitu omnia decenti disponit ordine, ita quoque Deus, *qui id est in Mundo, quod dux in exercitu, in lib. de Mund. c. 6.* & *in antec. c. 2.* Deum esse ait, qui mundi τάξιν καὶ διακόσμησιν φυλάττει, *ordinem & dispositionem custodit*, qui τὴν τῶν ὅλων ἁρμονίαν καὶ σωτηρίαν συνέχει, *omnium harmoniam & salutem continet*, à quo πᾶς ὁ τοῦ βίου διάκοσμος εὕρηται καὶ διατέτακται καὶ συνέχεται i. e. *omnis vitæ cultus inventus est, & ordinatus, & conservatur. Terræ cultura, plantatio, artium excogitationes, usus legum, ordo reipublicæ, civiles administrationes, bellum extraneum, pax*, ceu dicitur, *d. c. 6.*

§. 145. Magis autem ad S. Genesin aliaque Scripturæ loca accedere videntur ea, quæ proponit Philosophus (1.) *d. l. de Mun. c. 5.* γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, καὶ αἰθέρα τε καὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διεκόσμησε μία διὰ πάντων διήκουσα δύναμις

ναμις, h. e. *terram omnem, omne mare, atherem, Solem, Lunam, & totum Cœlum vis una per omnia pertingens adornavit* & concinnô ordine disposuit. Et (2.) *seq. c. 6.* mox *ante fin.* ita habet: ἡγουμένου δὴ ἀεικινήτως αὐτοῦ καὶ ἐμμελῶς, ὁ σύμπας διοικονομεῖται διάκοσμος οὐρανοῦ καὶ γῆς, μεμερισμένος κατὰ τὰς φύσεις πάσας διὰ τῶν οἰκείων σπερμάτων, εἰς τε τὰ φυτὰ καὶ ζῶα, κατὰ γένη τε καὶ εἴδη. h. e. *Ipso* (Deo) *perenniter & compositè ducente & gubernante, universus hic Cœli terraq; ordo regitur atq; administratur, in omnes ipse naturas partitus pro universitate seminum, in ea, quæ hærent solo, atq; in animantia, quæ ipsa etiam suis generibus speciebusq; distincta sunt.*

VI. Deus est gubernator rerum.

§. 146. In Scripturis SS. hæc res est decantatissima, utpote quæ 1. Deum frequentissimè vocat *Regem*, 2. Ei tribuit *regnum*, idque triplex, *naturæ, gratiæ & gloriæ*; 3. de Eo affirmat, quòd *regnet, regat* & *gubernet*. Unum librum Sapientiæ adeamus, & ex illo unum atque alterum excerpamus. *In ca. 8. v. 1.* διοικεῖ *gubernat omnia utiliter. Cap. 12. v. 15. Justus existens justè* διέπεις *gubernas omnia.* Et *ca. 14. v. 3. tua, pater, providentia cuncta gubernat.*

§. 147. In Aristotelis quoque doctrina hoc Dei prædicatum inter alia eminet. Præcipuè *in l. de Mund. ca. 6.* ubi *Deum* πάντων ἡγέμονα, h. e. *omnium ducem,* (seu *principem*) nominat, ipsumque τὸ σύμπαν διέπειν, *Universum gubernare*, & κόσμον ἐπέχειν, *Mundum administrare* ait. Huc iterum faciunt verba Aristot. antè ex *d. cap. 6.* allata, nimirum circa fin. Ita verò habet Philosophus. *Ipso* (Deo) *gubernante* (ἡγουμένου δὴ αὐτοῦ) *universus cœli terraq; ordo* διοικονομεῖται i. e. *administratur & regitur juxta omnes naturas divisus, &c.* Et statim in fin. *animantium alia sunt fera, alia mansueta, tùm in aëre, tùm humi, tùm in aqua vitam trahentia; oriuntur, invalescunt & corrumpuntur,* τοῖς τοῦ θεοῦ πειθόμενα θεσμοῖς, *Dei obtemperantia sanctionibus sive legibus.*

§. 148. Huc facit quoque, quòd Ariſtot. *in fin. l. 12. Metaph.* concludit his verbis: τὰ δὲ ὄντα οὐ βούλεται πολιτεύεσθαι κακῶς. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος. h. e. *entia nolunt malè gubernari. Non eſt bonum multorum dominium; unus ſit Dominus*, unus princeps. Quibus verbis procul dubio ſupremum Numen reſpicit, quod unum exiſtens, toti Naturæ præeſt, totamque Naturam moderatur & regit, ceu lib. de Mund. tradit & docet.

VII. Deus eſt cauſa prima, omnia in omnibus operans.

§. 149. Sæpenumero in Divinis Literis ſcriptum ſtatutumque legimus, nihil fieri vel magnum, vel parvum, vel in Cœlo, vel in terra, vel uſquam alibi, ſine voluntate & concurſu Dei. Quod inſuper teſtantur clara Scripturæ S. oracula, ut quando *Eſaiæ 26. v. 12.* dicitur: *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Item *Actor. 17. v. 28. In ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Add. *1. Cor. 12. v. 6. idem Deus, efficiens omnia in omnibus.* Et ad *Philip. 2. v. 13. ipſe operatur in nobis velle & perficere.* Ex quibus, Deum eſſe primam cauſam, cum id expreſsè in Scripturis non dicatur, oppidò colligis.

§. 150. Sed quid hac in re præſtitit Ariſtoteles? Qui Deum non tantùm ens, ſed quoque primum ens, non tantùm ſubſtantiam, verùm quoque primam ſubſtantiam, non tantùm vivens, ſed omninò primum vivens agnovit & ſtatuit, is quoque Eundem non tantùm vult eſſe cauſam rerum, verùm quoque primam cauſam, & primum principium, à quo alia non in eſſe ſolùm, verùm quoque in operari dependeant. Propterea ipſum vocitat *principium primum, movens primum*, &c. *l. 12. Met. c. 8. t. 43.* & *l. 8. Phyſ. c. 5.* ubi dari aliquod primum movens probat.

§. 151. Sed audiamus ſententias Ariſtotelis. Adeamus *lib. 7. Phyſ. c. 1. t. 1.* τὸ ὑφ' ἑαυτοῦ κινούμενον οὐδέποτε παύσεται κινούμενον τῷ ἕτερόν τι εἶναι κινούμενον ἀνάγκη τοίνυν ἔτι παύεται κινούμενον τῷ ἕτερόν τι εἶναι τοῦθ' ὑφ' ἑτέρου κινεῖσθαι. h. c. *quod à ſeipſo movetur, id nunquam*

quam ex eo moveri desinet, quia aliquid aliud stetit, moverique cessavit. Igitur si quid ex eo moveri desinet, quia quidpiam aliud stetit, id ab alio moveatur necessum est. Quibus verbis docet Arist., & quidē satis aptè atq; apertè, quid discriminis sit inter *causam primam* & *secundam*; nimirū *primam* tradit agere à se, & propterea in agendo non dependere ab alia, puta secundâ. Hoc probat ex eo, quia prima potest agere secundá quiescente; *secundam* verò non posse agere nisi motam à prima, atque propterea dependere ab ea in agendo, ut nisi prima ad actionem concurrat, secunda agere non possit. Probat; quia quiescente primâ causâ, necessariò etiam quiescit secunda.

§. 152. Suppeditat ergo Aristotel. nobis hoc argumentum: quicunque ita movet, vel ita operatur in Natura, ut ipso non movente, vel non operante, nihil rerum naturalium (vel, nulla res naturalis) operetur, nec operari possit, illum omnia in omnibus operari (vel operando perficere) oportet. Sed Deus ita movet, vel ita operatur in Natura, ut ipso non movente, vel non operante, nulla res naturalis operetur, nec operari possit. Er. Deum omnia in omnibus operari (vel operando perficere) oportet.

§. 153. Argumentamur deinde ex Aristotel. h. m. Per quem sumus, vivimus & movemur, ille in nobis operatur omnia. Sed per Deum sumus, vivimus & movemur. Er. Deus in nobis operatur omnia. Major est certissima; Minor est Aristotelis; (1.) ἐκ Θεοῦ, καὶ διὰ Θεοῦ πάντα συνέστηκεν, h. c. *ex Deo & per Deum omnia & constituta sunt, & consistunt, l. de Mund. c. 5.* (2.) δι' ὃν ζῶμεν, *per quem vivimus d. lib. c. 7.* (3.) δι' ὃν κινούμεθα, *per quem movemur, l. 7. Phys. c. 1. t. 1.* quæ sanè dicto illi *Actor. 17. v. 28.* de professo consentiunt.

προσδόματα Aristotelica.

I.

Juxta Aristot. in Deo omnia sunt ταυτὰ. Quamvis hoc ex summa DEI simplicitate colligi poterat, tamen ex uno atque alterô Aristotelis dog-

dogmate h. l. id deducemus. Primò ex *l. 12. Metaph. ca. 7.* ubi postquàm Philosophus dixit, *vitam Deo inesse*; item, *vitam & ævum continuum & æternum Deo inesse*; statim subjungit: τοῦτο γὰρ θεός, *hoc enim Deus.* Quibus verbis procul dubio docet, Deum hoc ipsum esse, quod Dei vita & sempiternitas est, nec aliud esse Deum, aliud verò vitam, aut ejus æternitatem; sed ista omnia esse ipsum substantiâ Deum. Deinde, in *lib. 2. de Cœl. c. 3. t. 17.* ait: θεοῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία· τοῦτο δέ ἐστι ζωὴ ἀΐδιος, h. e. *Dei operatio immortalitas est: hoc autem est perpetua vita.* Ubi, missô, quòd Interpp. verba ista de Cœlo explicent, prætendentes, Aristot. corpus cœleste Deum, more Platonicô, appellare, (uti exponunt Thomas Aquinas, Conimbricenses, Antonius Majoragius, & alii) nullum est dubium, illa primò de Deo accipienda esse, aliis verò (ex hypothesi, si aliis competunt) δευτέρως competere. Hîc nihil aliud, quàm simplicissima perfectionum divinarum innuitur identitas, dum dicitur 1. quòd Dei operatio sit immortalitas; 2. hoc ipsum, nempe tale operari Dei, sit vita ejus perpetua sive æterna. Denique, in *Lib. de Mund. c. 9* docet, Dei intellectionem sese non ita habere, uti se habet nostra, ut nimir. actus intelligendi ab intellectu aut intelligente natura diversus sit, quòd id cũ summa Dei simplicitate pugnet; sed quòd sit ipsa Dei substantia. Etenim pro absurdo reputat 1. *intellectus divini substantiam non esse intellectionem, sed potentiam intelligendi*; 2. *intellectum Dei perfici ab intelligibili*, & 3. addit, *rationi esse consentaneum, si intellectus in Deo non esset intellectio, sed potentia; laboriosam ei continuationem intelligendi esse.* Ob hæc inconvenientia statuendum statuit Aristot. intellectionem Dei ab ipsa ejus Essentia, sicut & hanc ab illa realiter non esse diversam. Vid. Slevogt. *Disp. theor. 17. §. 10. p. 378.*

II. *Juxta Arist. Deus est omnia in omnibus*, utpote *per quem omnia consistunt*, ex *l. de Mun. c. 6. qui principium, finem & media rerum omnium tenet, d. l. ca. 7. ant. fin.* qui, si vitam naturalem spectemus, *nobis est vita, d. l.* si vitam moralem, *est nobis lex, d. lib. c. 6.* &, *ut summatim loquamur*, inquit ibid. Arist. *quod in navi gubernator est, quod in curru agitator, quod in choro præceptor, quod deniq; lex in civitate, & dux in exercitu, hoc Deus est in mundo*, nimirum servator & moderator rerum omnium.

III. *Deus est beatus propter se; l. 7. de Republ. c. 1. unâ semper & simplici voluptate gaudens, l. 7. Ethic. Nicom. c. ult in fin.*

Hîc esto cum Deo primæ Disputationis

FINIS.

SECTIO II.

Cosmologiam Aristotelis cum Scripturis SS. consentientem exhibens.

§. 1.



IN limine occurrendum est Objectioni. Dicet enim quispiam: queî *Creationem Mundi* cognitam habuerit Aristoteles, & queî rebus naturâ notis ea annumerabitur, cum res fidei sit, ipso Apostoló docente *Ebr. cap. 11. v. 3.* Resp. Ita habent verba loci allegati: *Per fidem intelligimus perfecta fuisse secula Verbô DEI, ut ex his, quæ non apparebant, ea quæ videntur, fierent.* Quibus in verbis *specialis creationis modus* describitur, quòd nimirum ea facta fuerit Verbô Dei. Confer. *Joh. 1. v. 3.* & *Psal. 32. v. 6.* Distingvendum ergo omninò est inter *rem*, sive inter *creationem* & *creationis modum*. Res fidei est, Apostoló dicente & docente, quòd *Verbô Dei* facta sunt, quæ facta sunt, *Gen. c. 1. tot.* non verò res fidei esse dicitur *Mundi effectio* seu *creatio simpliciter spectata*, cujus notitiam Aristoteli tribuimus.

§. 2. Et nisi hanc distinctionem tenuerimus atque adhibuerimus, habebimus Apostolum sibi ipsi contradicentem. Etenim alibi (nimirum *Rom. 1. v. 19. & 20.*) Gentilibus notitiam creationis Mundi tribuit, ex illâque notitiam Dei enatam fuisse docet, ita scribens: τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ (Θεοῦ) ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, &c. Ubi tria Gentilibus cognita fuisse dicuntur; 1. sunt ποιήματα seu *effecta* Dei; 2. est ποιητὴς h. e. *Effector*, Deus; 3. ποίησις seu *effectio* ipsa rerum visibilium Mundi. Et ποιήματα hæc sive effecta visibilia, docente Apostolô, medium fuêre & via perveniendi in notitiam invisibilis Dei.

§. 3. Idem hoc, eôdem modô, & eisdem penè verbis

tradit Ariſtoteles *in lib. de Mundo cap. 6.* ſcribens: διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται, hoc eſt: *quapropter cum (Deus) ſit omni naturæ mortali inconſpicabilis, ipſis nihilo ſeciùs cernitur ab operibus.* Ubi, quem Apoſtolus dixerat ἀόρατον, (vel ἀόρατα τοῦ θεοῦ,) hunc Ariſtoteles dicit ἀθεώρητον, inaſpectabilem; &, quæ ille dixerat ποιήματα Θεοῦ, hic vocat ἔργα; denique Apoſtolus utitur verbô καθορᾶται; Ariſtoteles θεωρεῖται; parvô vocum diſcrimine.

§. 4. Opera autem Dei plurima dictô locô recenſet Ariſtoteles, tàm primam rerum conſtitutionem, quàm conſtituti mundi conſervationem & adminiſtrationem attinentia. Præcipuum eſt, quòd initiô *cap. 6.* ait, *veterem eſſe ſermonem, & à Majoribus traditum, omnia ex Deo, & per Deum (primitùs) conſtituta eſſe.* Quibus ipſis verbis creationem & conſtitutionem mundi notat. In ſequente verò tractatione alia Dei opera, quæ mundi conſtitutionem inſecuta, enarrat.

§. 5. Argumentamur ex ſuperabundante. 1. Quicunque naturaliter cognoſcit ποιήματα Dei, & per iſta ipſum ποιητὴν ſeu Cōditorem Deum, ille per eadem naturaliter cognoſcit ipſam ποίησιν ſive creationem rerum. At verò Ariſtoteles naturaliter cognovit ποιήματα Dei, & per iſta ipſum Conditorem Deum. E. Ariſtoteles naturaliter cognovit ipſam ποίησιν ſeu creationem rerum. Minor cōſtat ex §. 2. & 3. Major patet, ſiquidem ποίημα formaliter includit ποίησιν, adeoque ſicut illud ſine hac non datur, ita quoque ſine hac non cognoſcitur. 2. Per quod, tanquàm per viſibile medium, Ariſtot. cognovit rerum Creatorem, quatenùs Creator eſt, per idem cognovit quoque ipſam rerum creationem. Atqui per ἔργα ſeu ποιήματα θεοῦ Ariſtoteles cognovit rerum Creatorem, quatenùs quidem Creator eſt. Er. per ἔργα ſeu ποιήματα θεοῦ cognovit quoque ipſam rerum Creationem. Minor non tantùm ex dictis liquida eſt, verùm ex dicendis liquidior evadet.

§. 6. Ad

§. 6. Ad ipsum igitur principale negotium propiùs accedentes, prænotamus, vocem *Mundi*, quantum ad præsens, dupliciter accipi: *Vel* pro toto aggregato, omnes creaturas complectente, sive, uti habet Aristoteles *lib. de Mundo c. 6.* pro compage rerum concinnô ordine digestâ; *Vel* pro rebus in Mundo existentibus, nempe pro Cœlo, terrâ, aëre, aquâ, mari, omnibusque corporibus, à simplicibus usque ad composita, ab inanimatis usque ad animata, &c. Quæ utraque acceptio inpræsentiarum obtinet, ceu ex progressu Disputationis apparebit.

§. 7. Quia autem duo, vel ad summum tria consideranda sese nobis offerunt; 1. Mundi origo & prima rerum productio; 2. Mundi institutio, seu, quomodo Deus Mundum instituerit, qualem ordinem rebus præscripserit, qui aliàs dicitur *Ordo Naturæ*; 3. Primatum (vel primùm productarum) Mundi specierum Cœli & Terræ consideratio; hac ipsâ Disputatione de duobus prioribus capitibus agemus, Cœli & Terræ contemplatione ad sequentem Disputationem rejectâ. Sunt igitur hujus Disputationis duo articuli.

Articulus I.

De primâ rerum productione.

§. 8. Expediemus negotium distinctis propositionib9, ceu in primâ quoque factum Disputatione.

I. Mundus juxta Aristot. primitùs (vel, in principio) à Deo factus & creatus est.

§. 9. Sic in initio Geneseos; *in principio creavit Deus Cœlum & Terram.* Cui Divino Oraculo alia multa Scripturæ dicta accinunt. Hanc Mundi Creationem an Aristoteles cognitam & agnitam habuerit, & in hoc doctrinæ capite Scripturæ Sacræ consentiens fuerit, dispiciendum est. Not. quòd dictum: *hanc*, vel, *hujus Mundi Creationem*. Sunt enim

distinctæ quæstiones: 1. *An Aristoteli cognita fuerit creatio?* h. e. An Aristoteles sciverit, dari creationem, h. e. actionem productivam, à materiâ & subjectô independentem, contradistinctam generationi, quæ est productio à materia & subjecto dependens? 2. *An Aristoteli cognita fuerit creatio Mundi*, quæ *Genes. cap. 1.* describitur; Utramque quæstionem nos affirmamus, & firmissimè probatam damus.

§. 10. Priorem quidem ex *l. 9. Metaph. c. 1.* ubi Philosophus potentiam & actum etiam ponit in illis, quæ sine motu agunt fiuntque, & hoc ipso potentiam effectivam statuit sine motu, adeoque sine subjecto. Hæc sunt ejus verba l. d. πλέον ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ ἐνέργεια τῶν μόνον λεγομένων κατὰ κίνησιν, h. e. *plura complectitur potentia & actus, quàm quæ solùm ex motu dicuntur.*

§. 11. Sciendum igitur, in Philosophiâ Aristotelis *geminam potentiam effectivam, geminamque adeò effectionem* (tàm activam quàm passivam) haberi; *unam* cum motu conjunctam, adeoque à subjecto dependentem; *alteram* sive motu, adeoque independentem à subjecto. *Prior* est generatio, *posterior* creatio, ceu alibi explicuimus. Utramque potentiam propositam habemus l. d. posteriorem quidem in verbis citatis, priorem verô in mox sequentibus, quando ait: ἡ (δύναμις ποιητική) ἐστιν ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλῳ, h. e. *potentia (effectiva) est principium transmutationis in alio quatenus est aliud.* Pertinet huc definitio causæ efficientis, quam Aristot. ut Physicus tradit *l. 2. Phys. c. 3. t. 29.* quòd sit ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς ἡ πρώτη, ἢ τῆς ἠρεμήσεως h. e. *primum mutationis aut quietis principium.*

§. 12. Majoris evidentiæ causâ argumentamur: Quicunque statuit potentiam effectivam eique respondentem actum cum motu non communicantem, (adeoque à subjecto independentem) ille statuit potentiam creativam, eique re-

reſpondentem ἐνέργειαν ſeu actum creativum, ſive creationem. Sed Ariſtoteles ſtatuit potentiam effectivam, eique reſpondentem actum cum motu non communicantem, adeoque à ſubjecto independentem. Er. Ariſtoteles ſtatuit potentiam creativam, & actum creativum, ſive creationem. Major conſtat, quia potentia effectiva à motu & ſubjecto independens non eſt alia, quàm potentia creativa, & actus ei reſpondens, ſive potentiam illam conſequens, non eſt alius, quàm creativus, ſive creatio. Deinde, Ariſtot. creationem rerum in particulari tenuit, ceu in progreſſu monſtrabitur.

§. 13. Poſterioris quæſtionis affirmativam ſimiliter aſſumimus, eamque manifeſtam facimus ex ſequentibus Ariſtot. dictis. (1) In *l. 1. Metaph. c. 2.* ait: ***Deus omnibus cauſa & principium quoddam eſſe videtur.*** Notetur, quòd dicitur ***eſſe cauſa omnibus***, intellige, non ſolùm quâ individua, verùm quoque juxta ſpecies ſuas; omnes enim ſpecies ſunt à DEO. Hinc: qui eſt cauſa omnibus juxta ſpecies ſuas, ille eſt primus omnium rerum Conditor. DEUS eſt cauſa omnibus juxta ſpecies ſuas. Er. DEUS eſt primus omnium rerum Conditor.

§. 14. (2) In *l. 2. Metaph. c. 2.* probat Philoſophus, in cauſis agentibus, ſicut in cæteris cauſis, non dari progreſſionem in infinitum, ſed neceſſariò deveniendum eſſe ad unam primam omnium rerũ effectricem cauſam, quæ nempe omnes res ita efficiat, ut ipſa à nulla fiat, vel à nulla pendeat, cujusmodi cauſa alia non eſt, præterquàm DEUS, quem propterea appellat τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων, *principium & primum omnium entium, lib. 12. Metaph. c. 8. t. 43.* item αἰτίαν πρώτην καὶ ἀρχαιότατον, h. c. *primam & principem cauſam, lib. de Mundo c. 6.* item *cauſam & authorem omnium, ſeq. cap. 7.*

§. 15. (3) Repetimus verba *lib. 12. Metaph. c. 8.* ***Deus eſt principium & primum omnium Entium***, & inde ſic diſcurrimus: 1. Si Deus eſt primum entium; Ergo ſunt alia entia præter

Deum, quæ ſint orta ab illo primo, & quorum ille ſit principium. 2. Quidquid eſt Ens, non verò eſt Ens primum & à ſe, id ab alio productum ſit neceſſe eſt; ſiquidem impoſſibile eſt, aliquid à ſe ipſo fieri. Sed nihil præter Deum eſt ens primum & à ſe; quare omnia, præter Deum, ab alio producta eſſe oportet. Non poſſunt autem illa, quæ primò eſſe inceperunt, ab alio quàm à Deo producta eſſe, quia præter Ens primum, h.e. Deum, non extitit Ens aliud, quod aliquid de potentia ad actũ revocare potuerit.

§. 16. (4.) Sed omnium clariſſimus eſt locus *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* ubi *Cœlum & Naturam à Deo* (ut primo principio) *eſſe*, ſcribit. Hinc facile eſt argumentari: A quocunque ut primo omnium principio Cœlum & univerſa Natura dependet, ille eſt Cœli univerſæque Naturæ Conditor. Sed à Deo ut à primo omnium principio Cœlum & univerſa Natura dependet. Er. &c.

§. 17. Huc tandem (5.) referimus, quòd Anaxagoram, qui Deum cauſam Mundi eſſe docuit, hoc nomine laudat *in l. 1. Metaph. c. 3.* ubi ita: *ut entia partim ſe benè habeant, partim fiant, nec ignem fortasſis, nec terram, nec aliud hujusmodi quidquam veriſimile eſt arbitrari, nec rurſus caſui & fortunæ rem tantam attribuere, probè ſe habet. Quare qui uti in animalibus, ita & in Natura Intellectum* (Deum intelligit) *cauſam & Mundi totiusq; ordinis dixit, quaſi ſobrius apparuit collatus cum antiquis vana dicentibus. Iſtas autem rationes qui palam attigit, Anaxagoram fuiſſe ſcimus.*

§. 18. Sed inquis: ex iſtis Ariſtot. dictis nihil aliud habetur, quàm Deum eſſe cauſam efficientem Mundi & rerum mundanarum; an verò Deus Ariſtoteli habitus fuerit Creator rerum, & an juxta ipſum, prima rerum productio ſit creatio, diſquiritur. Qua in re omninò affirmativa, uti quidem ex dictis videre eſt, ſtatuenda. Et quamvis Ariſtoteles non

iis-

iisdem, quibus Scriptura Sacra utitur, rem exprimat verbis; quamvis etiam non actu & κατὰ τὸ ῥητὸν illud assertum apud Aristotelem contineatur vel legendum extet, tamen ipsum δυνάμει in Aristotelicis doctrinis latere, & inde per legitimam consequentiam deduci posse, tàm certi sumus, quàm qui certissimi.

§. 19. Imò cum ipsis Scripturis SS. ita comparatum esse, compertum habemus, quòd nimirum multa asserta tantùm δυνάμει in illis latescunt, nec κατὰ τὸ ῥητὸν inibi continentur, sed per legitimam consequentiam exinde deducenda veniunt, ceu non solùm ex anteced. Disputatione patet, verùm quoque ex hac ipsa manifestum evadet. Et quis dubitet, in citatis ex Aristotele dictis æquè creationem Mundi describi, ac in istis Scripturæ Sacræ dictis: *Deus fecit Cœlum & terram & mare, & omnia, quæ in eis sunt, Ps. 146. v. 6. Ego Jehova faciens omnia, extendens cœlos solus, Esa. 44. v. 24. Deus fecit Mundum & omnia, quæ in eo, Act. 17. v. 24.* Etenim & in his dictis sacris nulla expressa *creationis* fit mentio; quin verò illa reverà inibi contineatur & doceatur, dubium est nullum. *In his*, ajo, *dictis*. In aliis enim dictis Scripturæ creationem mundi κατὰ τὸ ῥητὸν haberi & expresè doceri, satis notum est.

§. 20. Sed ut ad scopum tandem perveniamus, ita argumentamur: quidquid ratione primi termini, & ratione primæ suæ originis tàm juxta Scripturam S. quàm juxta Aristotelem, dependet (effectivè) à Deo citra dependentiam à materia sive subjecto, illud à Deo dependet per creationem, sive illud à Deo creatur. Atqui Cœlum, Terra, & tota Natura ratione primi termini, & ratione primæ suæ originis, tàm juxta Scripturam S. quàm juxta Aristot. dependet (effectivè) à Deo citra dependentiam à materia sive subjecto. Er. Cœlum, Terra, & tota Natura à Deo dependet per creationem, sive, à Deo creatur, & creata conservatur.

§. 21. Major constat ex ratione formali creationis; Minor patebit ex seqq. Not. autem, quod dictum: *ratione primi termini*, &, *primæ suæ originis*. Potest enim dupliciter intelligi, *Mundū & res Mundi factas esse citra dependentiam à subjecto*, sive *esse creatas propriè*: vel *ratione primæ originis*, adeoq; *ratione primi termini à quo*, qui est purè negativus, & purum non ens; vel *ratione* συστάσεως, quâ cunctæ res juxta species suas in esse constitutæ sunt. Prioris intuitu Mundus dicitur (dicendus venit) creatus, non ratione posterioris. Nec enim ad hoc, ut Mundus dicatur creatus, requiritur, ut cūctæ res juxta species suas sint creatæ propriè, h.e. ex nihilo productæ; hoc enim impossibile est, & contra naturas rerum; sed ut aliquid, quod scil. primum inchoamentum Naturæ est, sit creatum, ratione cujus, vel, secundùm quod creata intelligantur, quæ, præter ipsum, creata dicuntur. Sicut e.g. de Adamo Scriptura S. dicit, quòd Deus ipsum ex limo terræ effecerit, qui tamen tantùm secundùm corpus, minimè verò secundùm animam rationalem ex limo terræ factus dici potest.

§. 22. Huc pertinet, quòd in Scholis *creatio* dicitur esse duplex; *prima* & *secunda*, vel, ut aliis proponere lubet, *immediata* & *mediata*. De qua distinctione nos impræsentiarum nihil dicimus, (factum id est alibi) memores illius: ἴσω πράτις. Ita igitur procedimus. Sicut duplicis conditionis res in primo rerum molimine factæ sunt; nimirum quædam in esse & fieri sunt independentes à materia; quædam verò in esse & fieri à materia dependentes; sic productio rerum datur gemina: una rerum simplicium, nullum sui ortus subjectum admittentium; altera rerum corporearum, materiam seu subjectum aliquod, ex quo facta sint & constent, admittentium, imò requirentium.

§. 23. Priorem creationis modum, si vel Scripturam S. vel Aristotelem consulas, tantùm tria agnoscunt & admit-

tunt

tunt entia, h. e. tria tantùm sunt, quæ propriè creata h. e. ex nihilo (quod est nihilum subjecti) producta dicenda veniunt: 1. Angeli; 2. Materia prima; 3. Anima rationalis. Posterioris verò modi magna est latitudo, cōprehenditurq; eo Cœli & Terræ, omniumque quæ tàm in Cœlo, quàm in terra constituta sunt, & longò ordine *in Genes. ca. 1.* recensentur, effectio. Quam utramque productionem, ad Mundi creationem spectantem, ex Aristotele monstrabimus.

§. 24. Primò quidem Angelorum creationem quod attinet, invenimus eam in *l. 2. Rhetor. c. 23.* ubi asserit, *Dæmones esse opus Dei.* Quod opus aliud non esse novit Aristot., quàm independens à materia. Et aliàs notæ sunt Intelligentiæ Aristotelicæ, per quas nullas alias substantias intellexit Philosophus, quàm Angelos, ceu alibi monstratum, & aliàs constat. Has substantias, juxta Aristot. creatas fuisse, probamus cum Javello *lib. 12. Metaph. q. 5.* ubi sic colligit: Deus est causa productiva Intelligentiæ. Er. eam creavit. Ratio: quia enim est sine materia, (quod utique novit Aristoteles, siquidem istas substantias nec pro corporibus habuit, nec pro formis corporeis seu materialibus, sed pro substantiis simplicibus, substantiæ materiali oppositis) producta quoque est sine materia, h. e. materiâ, tanquam subjectô productionis, non concurrente. Taliter autem fieri sive produci, est creari, uti è Philosophia Aristotelica notum est, & hìc supponitur.

§. 25. Confirmatur deinde hoc discursu. Angeli, juxta Aristotelem, producti sunt à Deo. Vocat enim opus Dei. Jam verò aut generatione cœperunt, aut creatione. Tertium enim non admittit vel Philosophia Aristotelica, vel sana ratio. Non generatione; hæc enim est eorum, quæ naturâ constant; *l. 1. Physſ. c. 7. t. 65.* Angeli verò non constant naturâ, sed sicut sunt expertes materiæ, ita quoque naturæ.

Er. Intelligentiæ & Dæmones juxta Aristot. cœperunt creatione.

§. 26. Deinde, Materiæ primæ creationem tenuit Aristoteles. Prob. 1. Docet is *l. 12. Metaph. c. 7. t. 34.* naturam à Deo dependere. Jam verò materia prima est natura; est πρώτη φύσις, πρῶτον ὑποκείμενον, prima natura, primum subjectum, primumque quasi fundamentum Naturæ. Er. materia prima à Deo dependet. Aut per generationem, aut per creationem. Non illud; est enim materia Aristoteli ἀγέννητος sive ingenita. Er. hoc. Igitur materia prima juxta Aristot. fuit creata à primo rerum Conditore.

§. 27. Potest deinde argumentum strui h. m. quidquid vel quæcunque substantia cœpit, & tamen non cœpit cum motu & dependentia à subjecto, illa substantia cœpit per creationem. Sed Materia prima cœpit, & tamen non cœpit cum motu & dependentia â subjecto. Er. materia cœpit per creationem. Major desumta est ex Aristot. *l. 9. Metaph. cap. 1.* & fundatur in principio hactenus non semel inculcato, quòd inter istos duos fiendi modos, non detur tertius sive medius. Minor constat ex *l. 12. Metaph. c. 7.* quidquid dependet ab aliquo in esse, illud accipit ab eo esse, adeoque incipit esse. Materia prima verò dependet â Deo in esse. Er. &c.

§. 28. Tertiò denique Aristoteles cognovit creari animam rationalem. Docet enim *in 2. de generat. animal. c. 3.* ipsam deforis venire, h. e. se non habere, sicut aliæ formæ sive animæ, quæ de potentia materiæ educuntur, sed â solo agente extrinseco, absque dependentia â subjecto, produci ex nihilo. Quod autem Aristot. dicit & docet de anima rationali in genere, id omninò quoque, juxta ipsum, accipiendum est de prima anima rationali, sive de anima primi hominis, quicunque ille fuerit, (quem tamen fuisse Adamum, nos ex historia Genes. novimus) & quandocunque â Deo productus fuerit.

§. 29.

§. 29. Estque in promtu argumentum è fundamentis Aristotelicis exstructum: quæcunque anima, de sententia Aristotelis, non communicat cum materia, (cujusmodi in homine est corpus organicum hominis) sive nullam ab ea quà esse, fieri & operari habet dependentiam, illa anima, juxta Aristot. ex natura sua non educitur è potentia materiæ, sed creatur. Atqui anima rationalis, de sententia Aristot. non communicat cum materia, sive nullam ab ea quà esse, fieri & operari habet dependentiam. Er. anima rationalis juxta Arist. non educitur è potentia materiæ, sed creatur.

§. 30. Atque hæc de genuina rerum simplicium, nullumque subjectum, â quo in esse & fieri dependeant, admittentium creatione nos docuit Philosophus noster; quid de creatione secunda, ita dicta, proposuerit, videamus quoque. Quam Sacra Genesis longâ serie distinctim describit rerum constitutionem, illam unicâ voce, unicô verbô comprehendit & exprimit Aristot. *in l. de Mund c. 6. init.* ajens: τὰ πάντα ἐκ Θεοῦ καὶ διὰ Θεοῦ συνέστηκεν, h. e. *omnia ex Deo & per Deum constituta sunt.* Omnia, inquit; intellige, juxta species suas, uti sunt Cœlum, Terra, aër & aqua, &c. plantæ, ut herbæ, frutices, arbores: animantia bruta, ipseque denique homo, &c. omnia â Deo primitùs producta & in esse constituta.

§. 31. Probamus insuper assertum ex *l. 12. Metaph. c. 7. t. 34.* ubi Cœlum (ipsamque Naturam) â Deo esse tradit. Nunc antè indigitatô discursu rem expeditam dabimus. Cœlum Aristoteli est â Deo. Aut per generationem, aut per creationem: Hos enim duos fiendi modos habet, non plures. Intelligend⁹ autem uterq; modus in ea proprietate, in qua invicẽ opponuntur. Jam verò Cœlum Arist. non est per creationem, scil. strictè dictam. Er. per generationem. Creatione enim fiunt ista, quæ nullam materiam, nullumque subjectũ, â quo in esse & fieri dependeant, admittunt. Cœlum autem

admittebat, imò requirebat materiam ad eductionem formæ ſuæ, quando producebatur. Igitur non creatione, ſed generatione factum eſt juxta Ariſt. cœlum, quando factũ eſt.

§. 32. Vel argumentum formamus ex *l. 1. Phyſ. c. 7. t. 65.* ubi ſic: *Si eorum quæ naturâ conſtant* (τῶν φύσει ὄντων) *principia ſunt, ex quibus primis conſtant & facta ſunt, non per accidens, ſed unumquodque id, quod per ſubſtantiam dicitur, patet, omnia fieri ex ſubjecto & formâ.* Inde argumentamur: Quidquid conſtat naturâ, id quando fit, fit ex ſubjecto (h. e. materiâ) & forma. Cœlum (ſicut & cuncta corpora Phyſica) conſtat naturâ. Er. Cœlum quando factum eſt, ex materia & forma eſt factum. Quidquid verò ex materia & forma eſt factum, id neutiquam creationi ſtrictè dictæ, ſed generationi ortum ſuum debet.

§. 33. Atque hæc eſt illa σύστασις, quam Ariſtoteles, verbô συνέστηκεν indigitavit *d. l. de Mund. cap. 6.* quâ nimir. cunctæ res naturales in eſſe ſuo conſtitutæ ſunt. Hanc Cœli aliorumque corporum conſtitutionem, quæ vera eſt generatio, creationem ſecundam & mediatam nonnulli adpellitant, ratione ducti, quòd ſit ex indiſpoſita & inhabili materia, quæ quodammodò rationem nihili habeat. Id quod nos ſuo locô relinquimus. Sufficit nobis, quòd in re ſit convenientia, quidquid ſit de verbis ſive terminis. Atq; ſic conſtat, Cœlum & reliqua corpora primitùs (vel in primo rerũ molimine) à Deo facta eſſe, eô, puta, modô, qui eorum naturæ convenit, ſive creationem ſecundam dicas, ſive generationẽ, qua ex materia, in ſe quidem inhabili, à Deo tamen diſpoſita & habili redditâ, facta ſint, quæcunque facta ſunt corpora.

II. Datur, juxta Ariſtotelem, verum Mundi principium, & creatio cum novitate eſſendi, uti in Scholis loquuntur.

§. 34.

§. 34. Hîc rursus duæ discernendæ sunt quæstiones; 1. *An Aristoteles cognitam habuerit creationem Mundi? 2. An cognitam habuerit creationem Mundi temporalem*, sive, *in tempore factam?* Hæ quæstiones omninò sunt distinctæ; *posterior*, enim involvit productionem rei (Mundi) cum novitate essendi, infertque causam producentem non naturâ solùm, verùm quoq; duratione priorem fuisse, seu præcessisse res productas; *prior* verò hoc non involvit, aut exigit, seu non requirit, ut causa producens sive creans duratione sit prior rebus productis, sed sufficit, si solùm naturâ sit prior, quomodo Sol, ut causa, est prior radiis suis, tanquàm effectibus, non duratione quidem seu tempore, sed naturâ duntaxat.

§. 35. Hîc communis est sententia, Aristotelem, cùm Mundum ab æterno esse statuerit, temporalem Mundi creationem, quæ fit cum novitate essendi, non tenuisse. Quamvis verò nos arduum hoc esse negotium non diffiteamur, tamen enitemur Aristotelem ab illa opinione, aut suspicione, quam hactenus multi de eo habuêre, liberare. Nunquam enim nobis persvadere passi fuimus, Aristotelem statuisse Mundum æternum, aut ab æterno, in proprietate & rigore Metaphysico terminum, uti quidem par est, sumendo.

§. 36. Præmittimus autem hanc distinctionem. Aliud est, *tenere initium temporale Mundi*, sive, *Mundum in tempore fuisse conditum*; aliud, *tenere determinati temporis initium*, quo Mundus à Deo sit conditus. Hoc quidem posterius non asseveramus de Aristotele, cùm id è sola Historia Sacra cognoscatur; prius verò intelligimus, quando Mundum in aliquo temporis initio factum fuisse, Aristotelem tenuisse statuimus. Et hoc probamus. 1. Aristoteles docet, Naturam dependere à Deo. Jam autem absurdum est, aliquid ab aliquo dependere, & tamen ipsum illud initiò carere. 2. Arist. tradit, omnia in Mundo à Deo constituta esse. Er. erit aliquod constitutionis initium.

§. 37. Sed inquis: iſta omnia facilimè conceduntur. Iſto autem pactô non concluditur temporis initium. Nihil enim aliud ſequitur, quàm Mundum eſſe naturâ poſteriorem Deo. Contrà, noſtras illationes de initio temporis eſſe intelligendas, manifeſtum facimus. Primò urgemus inſignem multitudinem & magnam diverſitatem rerum conditarum. Quædam enim ſunt ſimplices & incorporeæ, quædam corporeæ; quædam à materia in eſſe & fieri independentes, quædam dependentes ab eadem; &c. Deinde urgemus varias actiones, vel varios actûs, qui, de ſententia Ariſtot. ad fabricationem Mundi requirebantur. Denique urgemus ſummam Dei in agendo libertatem, quam *ſect. antec.* ex Ariſtot. abundè demonſtravimus.

§. 38. Quis verò ſibi imaginabitur, voluiſſe aut ſenſiſſe Ariſtot., in ſimplici æternitate (in ſimplici æternitatis *νῦν*) tot & tàm varias varièque diverſas & differentes naturas, tàm à materia independentes, quàm dependentes ab ea, ſpiritus & corpora, & in ſpecie Intelligentias, materiam primã, Cœlũ, terram, &c. animantia bruta ſecundùm corp⁹ & animã, (quæ eſt anima materialis) homines ſecundùm corpus & animam, (quæ eſt anima immaterialis) tot, inquam, varieque diverſas naturas à Deo ſimul & ſemel emanâſſe? Quis ſibi imaginabitur, Ariſtotelem ſenſiſſe, unam & eandem numerô actionem, quæ eſſet æterna creaturarum emanatio, eſſe partim independentem, partim dependentem à materia? unam & eandem numerô emanationem æternam includere (vel admittere ſaltem) Intelligentiarum & animarum rationalium creationem, & rerum corporearum conſtitutionem? Quis imaginabitur ſibi, Ariſtotelẽ, qui procul dubio productionem Mundi eſſe liberam Dei actionem probè tenuit, (uti nos jam jam palàm faciemus) ſenſiſſe & voluiſſe, Dei creationem eſſe æternam & neceſſariam rerum ex ipſo (vel, ab ipſo) emanatio-

natio-

nationem? Cum verò ſingula hæc, tanquàm ab Ariſtot. alieniſſima, longè propudianda ſint, manet reliquum, Philoſophum æternam rerum emanationem ne quidem intendiſſe, ſed omninò temporalem creationem intellexiſſe.

§. 39. Sed ecce! temporalem & ſucceſſivam Mundi fabricationem ex Ariſt. clariſſimè oſtendem⁹. Adimus librum de Mundo, in cujus *cap. 5.* ſic tradit Philoſophus: *terram omnem, omne mare, ætherem, Solem, Lunam & totum Cœlum vis una per omnia pertingens* (διήκουσα, *pervadens, penetrans, permeans*) διεκόσμησε h. e. *adornavit.* Et in *ſeq. ca. 6.* ait, *omnia ex Deo & per Deum conſtituta eſſe.* Quod dictum videtur convenire cum illo *Johan. cap. 1. v. 3. Omnia per ipſum facta ſunt.*

§. 40. Hæc eſt illa Mundi conſtitutio, quam Ariſtotel. docuit, de qua ſequentia annotare lubet. 1. Nulla hîc, ubi eſt genuina hujus doctrinæ apud Ariſtotel. ſedes, æternitatis fit mentio. Nec enim verè æternam rerum vel conſtitutionem, vel adornationem intelligit aut indigitat Philoſophus, quia nimirum talem nunquam cogitavit. 2. Effectiva rei conſtitutio & adornatio non eſt effectus emanatio. Ut ſic æterna Mundi emanatio in fumum abeat. 3. Mundi conſtitutio & adornatio, uti quid. h. l. ab Ariſtot. deſcribitur, omninò ordinem & ſucceſſionem temporis includit. Diſtincta enim rerum conſtitutio & adornatio (*σύστασις καὶ διακόσμησις*) non fit ſine ordine.

§. 41. Ex his Ariſt. dictis intelliguntur & explicantur illa, quæ ſuperiùs (*§. 13. 14. ſeqq.*) in medium fuêre propoſita, præcipuè illud *l. 12. Metaph. c. 7.* ubi *Cœlum & Naturam à Deo eſſe* dixit, hoc, intellige, modô, qui in lib. de Mundo exponitur. Omnia enim juxta ſpecies ſuas à Deo ſunt conſtituta & adornata. Er. & Cœlum, & reliquæ res cunctæ. Congruit locus *Geneſ. c. 2. v. 1.* ubi dicitur: *perfecti ſunt Cœli & terra, & omnis exercitus eorum.* Ut procul omni dubio hæc σύστασις &

δια-

διακόσμησις (hoc συνέστηκεν Ariſtotelicum) ſi rem ipſam ſpectemus, ſit illa, quam Moſes *Geneſ. cap. 1.* longâ ſerie deſcribit.

§. 42. Antequam hinc abeamus, argumentum ex Ariſtotele conficiendum eſt pro temporali Mundi creatione. Fundamentum eſt, quòd ubi ſucceſſio operis, ibi initium (temporale) operis. Sit ſyllogiſmus: quodcunque opus includit ſucceſſionem temporis, illud includit initium temporis. Atqui σύστασις atque διακόσμησις (vel conſtitutio & adornatio) Mundi Ariſtotelica ſive ab Ariſtot. deſcripta includit ſucceſſionem temporis. Er. conſtitutio & adornatio Mundi ab Ariſtot. deſcripta includit initium temporis. Res eſt liquida. Differentia ſolùm eſt in eo, quòd ex Script. novimus *certi & determinati temporis initium*, in Ariſtotel. verò *nullius determinati temporis initium* invenimus, aut inde colligimus.

§. 43. Nec obſtat, quòd Ariſt. *tempus* (uti & *motum*) *æternum* pronunciat. Reſp. (1.) vox *æterni* tunc non ſumitur propriè. (2.) in Scripturis Sacris ſimili id factum modô: *Baruch. c. 3. v. 16.* &c. Sed hac de re σὺν θεῷ in altera hujus Tractatus parte de profeſſo.

III. Deus, juxta Ariſtotelem, liberê creavit Mundum.

§. 44. Poterat quidem de hac propoſitione ex *ſect. 1. art. 2. propoſit. 19. §. 119.* conſtare; ipſam tamen h. l. pauciſſimis attingemus. Repetimus primò, quòd, quidquid perfectionis eſt in rebus creatis, omne id modô longè excellentiori in Deo contineri, non ſolùm aliàs & de ſe in propatulo ſit, verùm quoque apud Ariſtot. certum & indubium. Unde Deo omnia in gradu excellentiſſimo, vel, in ſumma perfectione tribuit. At verò voluntatis libertas una eſt ex maximis naturæ intellectivæ perfectionibus. Erit igitur maximè in Deo. Si verò Deus quidquam ex naturæ neceſſitate extra ſe ageret, præcipuè ſi mundum ex neceſſitate naturæ creâſſet, ſequeretur, ipſum non eſſe agens liberrimum; quod non ſolùm

lùm de se ἀφιλοσοφώτατον est, verùm quoque principiis Aristotelicis maximè adversum.

§. 45. Deinde, Deus, juxta Aristot. est αὐτάρκης, & nullius rei externæ indigens, utpote qui ex sua natura omnem boni & appetibilis rationem in sua essentia invenit. Vid. *l. 2. Magn. Moral. c. 15.* & *lib. 7. Polit. c. 1.* Unde infallibiliter sequitur, Deum nihil extra se necessariò appetere, & proinde nihil creaturarum ex absoluta aliqua naturæ necessitate producere, aut produxisse. Includamus syllogismô: quodcunque agens intellectuale nihil extra se ex naturæ necessitate appetit, illud nec quidquam extra se ex necessitate naturæ agit. Sed Deus (juxta Aristot.) nihil exrra se ex necessitate naturæ appetit. Er. &c. Major suâ luce radiat.

§. 46. Denique, quis sanorum hominum negaverit de Aristotele, ipsum & cognitum habuisse, & omninò sensisse, (vel, in ea sententia fuisse) Deum omnia agere κατὰ τὴν εὐδοκίαν θελήματος αὐτοῦ. Quis negaverit, Arist. & tenuisse & agnovisse, illum, qui naturæ intellectivæ creatæ dedit liberè determinare & accingere se ad actionem, illum, inquam, cum & ipse intellectualis naturæ sit, perfectissimumque intellectum, & perfectissimam voluntatem habeat, liberè, imò liberrimè, se determinare & accingere ad actiones suas? Sicut enim ille, à quo habemus, ut vivamus & vitaliter operemur, perfectissimè vivit & perfectissimè operarur, ita quoque idem, utpote à quo habemus, ut liberè operemur, liberrimè operatur. Quæ omnia, quanta quanta sunt, Aristotelica sunt, quamvis κατὰ τὸ ῥητὸν apud ipsum non inveniantur.

§. 47. Nec moveri quis debet illo effatô Aristotelicô, quô Deus ex necessitate naturæ agere dicitur. Nō enim istud tollit summam Dei libertatem. Sunt enim distinctissima, *(1.) Deum ex necessitate naturæ agere,* quod (rectè intellectū) verum est; Deus enim sicut est necessarium Ens, ita necessarium

agens, &, quantus quantus est, activus vel operativus est; & (2.) *Deum ex necessitate naturæ agere, quidquid agit*, quod demum libertati Divinæ adversatur. An verò hoc Aristotelis dogma fuerit, in altera Tractatus parte σὺν θεῷ videbimus.

IV. Datur in Natura Materia prima, eaque primùm à Deo creata, & universæ naturæ corporeæ, tanquàm basis & commune seminarium, à Conditore data & destinata fuit.

§. 48. Tria in hac propositione distinctim consideranda veniunt; 1. dari in rerum Natura materiam primam; 2. eam à Deo esse creatam; 3. ipsam esse totius naturæ basin & fundamentum, & commune (ita loquendo) rerum corporearum seminarium. De singulis ordine.

§. 49. Apud Aristotel. totum hoc negotium liquidum est, id quod breviter ostendimus. Primum patet ex *l. 1. Phys. c. 7. & 9.* ubi & existentiam materiæ primæ probatam atq; statuminatam, & ejus naturam nativasque proprietates expositas invenimus. Ejus verò creationem Aristotelem scivisse & tenuisse suprà probavimus. Si nimirum, docente Philosophô, (1.) Cœlum dependet à Deo, etiam materia prima, utpote quæ est pars essentialis Cœli, quæ est subjectum formæ Cœli, &c. à Deo dependet. (2.) si tota Natura, juxta Aristot. à Deo dependet, etiam materia prima à Deo dependet, utpote quæ, juxta ipsum, est prima natura, primum Naturæ fundamentum & inchoamentum, ceu jam jam pluribus dicetur & probabitur.

§. 50. Porrò, quia hoc non videtur sufficere, siquidem aliud est, à Deo dependere, quod quivis facilè concedit de materia prima; aliud dependere à Deo per creationē, sive à Deo creari, aut creatum esse, id jam pariter ex Arist. ostendimus, & quidem ex *d. l. 1. Phys. cap. 9. in fin.* ubi materiam primam esse ingenitam, nec generatione incipere potuisse docet. Si

enim

enim materia prima generatione esse inciperet, (incepisset,) ipsa non esset materia prima sive primum generationis subjectum, sed supponeret aliud prius subjectum; quod illatum absurdite non caret, quæ alibi (nimirum in Physicis) pluribus ostenditur. Quia verò materia prima, (1.) juxta Aristot. à Deo dependet, & (2.) juxta ipsum, ἀγένητος est, sive generatione non cœpit, sequitur, materiam primam juxta Aristotelem alium productionis modum habuisse, qui non est (nec esse potest) alius, quàm creatio; siquidem plures, quàm duos, fiendi modos Philosophia Aristot. non admittit.

§. 51. Quantum verò ad tertium, illud ex Aristot. facillimô negotiô deducitur. Materia enim prima ipsi non solùm natura est, verùm quoque prima & subjecta natura, *d. l. 1. Phys. t. 69. & 80.* primum uniuscujusque subjectum, *seq. t. 82.* ex quo (junctâ formâ) omnia, quæ naturâ constant, fiunt & componuntur, *d. text. 81.* & antec. *t. 65.* Id verò quod tale est, taliterque se habet, annon basis & fundamentum Naturæ est? Quòd verò sit commune naturæ (formarum naturalium) seminarium, Philosophus appellatione *matris* indigitat, *d. l. t. 80.* Sicut enim *mater* fœcunda numerosam emittit prolem, ita *materia prima* cunctas (exceptâ animâ rationali, quæ sola extrinsecùs materiæ suæ advenit, *l. 2. de gen. anim. c. 3.*) enititur naturales formas, & hoc ipso res secundùm suas species in Naturæ theatro sistit.

§. 52. Quantum verò deinde ad Scripturam, prostat quidē locus *Sapient. c. 11.* ubi dicitur, quòd *manus Domini orbem terrarū fecerit ex materia invisa;* attamen quid per *materiam invisam* intelligatur, non adeò constat. Sunt enim, qui interpretantur de materia prima, inter quos est Franc. Vallesius *de S. Philos. c. 69. p. m. 345. 346.* Sunt deinde, qui accipiunt de congerie corporum indigesta & inornata, adeoque non de primâ sive de propriè dicta creatione, sed de perfectione, di-

ſpoſitione & diſtinctione rerum, qua hic Mundus conditus eſt, & in debito Naturæ ſtatu atque pulchritudine conſtitutus; ita Perer. *in Geneſ. l. 1. c. 1. p. m. 21.* Svarez *Diſp. Metaph. 13. ſect. 11. num. 30. p. 283.*

§. 53. Sed quidquid hujus rei ſit, ſive priorem amplectaris interpretationem, ſive poſteriorem, habes materiam primam. Si priorem, res de ſe eſt in aprico. Si poſteriorem, eadem prodit materia prima. Illa enim materia, cujus *in d. cap. 11. Lib. Sap.* fit mentio, aut eſt ſimplex, aut compoſita. Si ſimplex, non eſt alia præterquam materia prima. Si compoſita, (qualis in cit. dicto intelligitur) ſupponit aliam materiã, quæ ſimplex ſit & incompoſita, quæ non eſt alia, quàm materia prima. Vel, colligimus ſic: Datur, juxta Scripturas SS. aliqua rerum (ſcilic. naturalium) materia. Er. juxta easdem dabitur materia prima. Conſequentia nota eſt.

§. 54. Deinde, materia prima porrò hoc pactô ex Sacra Geneſi probatur. 1. Res illæ, quarum productio *in cap. 1. Geneſ.* deſcribitur, ſunt corporeæ, adeoque ex materia & forma compoſitæ. Dabitur igitur materia pro illis corporibus. 2. Illa rerum naturalium productio fuit generatio, ipsâ Hiſtoriâ Sacrâ ſic vocante, *Geneſ. c. 2. v. 4.* ubi dicit *generationes* (תולדות) cœli & terræ. Accedit, quòd productiones rerum, quæ *cap. 1.* recenſentur non fuerint aliæ, quàm generationes. Proceſsêre enim ex ſubjecta aliqua materia, quæ partim aqua fuit, partim terra. Prætereà germinatio plantarũ, quæ *verſ. 11. & 12.* deſcribitur, quid aliud, quàm pura puta generatio: &c. Hinc porro: Quidquid generatur & generando in certa ſpecie conſtituitur, illud ex ſubjecta materia & certæ ſpeciei forma producitur, & viciſſim: quidquid ex ſubjecta materia & certæ ſpeciei forma producitur, illud generatur, & generando in certa ſpecie conſtituitur.

§. 55. Ut ſic de materia rerum naturalium ſatis inſtru-

cti ſimus ex Sacra Scriptura. Ad materiam autem primam inde procedere, eamque inde probare jam monſtrat Philoſophia, quæ docet, in quovis cauſarum genere deveniendum eſſe ad aliquod primum, & Naturam abhorrere à proceſſu in infinitum, id quod Ariſt. non uno in loco docuit, præcipuè *lib. 2. Metaph. c. 2.* De hoc ζητουμένῳ conferendus D. Grauer. b. r. *in Qq. Illuſtr. Diſp. 8. q. 4.*

§. 56. Quantũ verò porro ad creationem materiæ primæ, illam (ſicut ipſam ejusdem exiſtentiam, officium &c.) in SS. Literis expreſſam non habemus; quin verò talia inibi fundamentum habeat, non eſt, ut quispiam dubitet. Nos hac vice proponimus hoc argumentum: Id, in quo & ſecundùm quod creata ſunt, quæ in Scripturis Sacris creata dicuntur corpora, creatum eſſe oportet. Sed materia prima eſt id, in quo & ſecundùm quod creata ſunt corpora, quæ in Scripturis Sacris creata dicuntur. Er. materiam primam creatam (ſcil. propriè & verè) eſſe oportet. Major ex terminis innoteſcit, patetque ex ſimilibus exemplis. 1. Si omnes homines in Adamo peccárunt, uti Apoſtolus docet, Adamum peccâſſe conſequitur. 2. Si primus homo de limo terræ fuit formatus, uti Sacra narrat Geneſis, & tamen non formatus fuit ſecundùm animam rationalem, utpote quæ ei inſpirata fuit, ipſum ſecundùm corpus ex limo terræ formatum eſſe conſequitur. Minor eſt in confeſſo, & apud plurimos Scriptores reperitur. Probatur autem ex ſuperabundante, quia corpora ſecundũ ſe, & ut corpora ſunt, non creantur, ſed generantur.

§. 57. Ex hoc eodem fundamento probatur quoq; deniq; tertium, nimirum, materiam primam, juxta Scripturam, eſſe totius Naturæ baſin, primumque omnium rerum & ſpecierum inchoamentum, uti loquitur Zabarel. *l. 1. de Mater. pr. ca. 1.* Patetque, ſi argumentum repetamus: In quo & ſecundùm quod creatæ ſunt res corporeæ, id omnium creaturarum

corporearum fundamentum, primumque earum inchoamentum esse oportet. Sed in materia prima & secundùm ipsam creatæ sunt res corporeæ, quæ creatæ dicuntur. Er. materiam primam omnium creaturarum corporearum fundamentum & inchoamentum esse oportet. Major ex terminis est manifesta. Minor jam antè probata est.

§. 58. Denique materia hæc est commune omniũ formarum materialium seminarium. Cunctæ enim primùm, accedente speciali dispositione, ex illa prodiêre. Hoc factum, quando Deus dixit, *germinet terra herbam virentem, producat terra animam viventem*, &c. Quando enim prodibant variæ res secundùm species suas, prodibant variæ rerum formæ; cũ fieri rei corporeæ sit in fieri atque uniri formæ ad materiam suam; quod quidem aliter se habet in formis materialibus, aliter in immaterialibus, ceu alibi expositum dedimus.

§. 59. Sed inquis: ex terra & aqua dicuntur prognata esse cuncta, neutiquàm ex materia prima. Resp. intelligendum tamen id est secundùm materiam istorum corporum, neutiquam secundùm formam. Subjectum enim & materia, ex qua orta corpora, quæritur. Ista autem materia non est alia, quàm materia prima, quæ, quantum ad præsens, priùs erat sub dispositionibus & forma terræ & aquæ, posteà verò sub dispositionibus atque formis variorum animantiũ & terræ nascentium, &c.

V. Omnes res (omnia corpora) in prima creatione propriam suam materiam, propriasq; suas formas acceperunt.

§. 60. Hoc ex historia Geneseos manifestum est. Quando enim terra, Deô dicente & jubente, protulit herbã virentem, lignumque pomiferum, protulit unumquodque secundùm speciem suam. Quælibet autem species, quia per suam

fo-

formam specificam est id, quod est, ideò nacta est talem formam, talem quæ constituat speciem. Similiter quando aquæ produxerunt reptile animæ viventis; & quando terra produxit jumenta, reptilia & bestias terræ juxta species suas, &c. singulis tributæ & ingeneratæ sunt formæ propriæ atque specificæ, in propria quidem & appropriata materia. Propria enim forma propriam desiderat materiam, & vicissim propria materia propriam formam. Id quod maximè conspicuum est in formatione hominis, sive corporis humani, cui Deus animam intellectualem inspiravit. Talem ibi materiam, & tale corpus organicum primus rerum Conditor efformavit, quale animæ intellectuali, ut formæ, conveniret, speciemque humanam deceret.

§. 61. Idem hoc Aristot. docuit, multisque in locis inculcavit. Sic *l. 8. Metaph. c. 4. t. 11.* communem & propriam materiæ rationem exponit, & unde materiæ sit diversitas, tradit. Summa rei est in illo, quod *lib. 2. Phys. c. 2. t. 26.* legitur: *alia materia ad aliam formam accommodata*, nimirum per aliam & aliam ejus dispositionem. Quò facit, quòd *lib. 2. de an. t. 26.* ait, *non quodvis suscipere quodvis, & non quamlibet animam quodlibet ingredi corpus*, *l. 1. de an. c. 3. t. 53.* Confer *l. 1. de par. animal. c. 1.* Quæ Aristotelica effata locum habent & retinent in omni & quacunque rerum generatione atque constitutione, à quocunque ea agente fiat, quando & ubicunque perficiatur.

VI. In prima rerum naturalium productione formæ & animæ materiales educebantur è potentia materiæ, immaterialis verò, quæ est sola anima rationalis, per creationem data & inspirata fuit homini.

§. 62. Placet hanc rem (certis de causis) aliorum verbis ex-

exponere, præcipuè quòd eleganter & doctè ab uno atque altero propositã & expositam ipsam videamus. Primò, Franc. Valles. *in S. Philos. c. 1. p. m. 40.* hæc habet: *in aliis* (scil. præter hominem) *magis præstitit materialem significari naturam, nihilq; in illis esse divinum, & supra corporalem essentiam separabile, & immortale, ut in homine, sed omnia secundum se tota* (h. e. secundùm corpus & animam) *educi de potentia materiæ. Hoc enim significans* (rerum Conditor) *dicit: producant aquæ reptile, & natatile & volatile super terram, & terra producat jumenta & reptilia & bestias; hominem verò etsi ex terra fecit, non tamen jussit, ut terra produceret, sed ipse apud sese Deus statuit illum facere, dicens: faciamus hominem; usq; adeò magnam energiam habent verba singula.*

§. 63. Et *in cap. 4. p. 60.* ita proponit: *cum natatilium, volatilium, reptilium & progredientium, irrationalium tamen animalium creationem narrat Moses, his usus est verbis: Dixitque Deus, producant aquæ reptile animæ viventis. &c. Cum tamen ageret de hominis creatione, inquit, formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Quæ verba magnum continent Naturæ arcanũ. Indicavit enim apertè, illud, quod tantoperè inter Philosophos controversum est, hominis animam non esse eductam ex materiæ potentia & fœcunditate, velut animas irrationalium, sed extrinsecùs accessisse, naturæ immaterialis participem, non quidem nascentem intrinsecùs ex materia, sed divinâ vi extrinsecùs in illam immersam,* &c. Et post aliqua ait: *hinc pendet quæstio* (& assertio) *de animæ immortalitate,* &c.

§. 64. Didac. Masius *in comm. sup. l. 1. Phys. ca. 9. q. 8. p. 263.* hanc ponit Assertionem: *Omnes formæ naturales, exceptâ animâ rationis compote, educuntur de potentiâ materiæ.* Et post aliqua pergit: *quæ sanè sententia confirmari potest ex cap. 1. Genes.*

nes. ubi legimus, Deum Opt. Max. dedisse terræ facultatem emittendi ex se herbam virentem, & lignum pomiferum juxta genus suum, & aquæ producendi reptile animæ viventis. Et, adscriptis ipsis Scripturæ verbis, pergit: *Ex quibus in hunc modum suadere possumus assertionem: Quæ producuntur secundùm facultatem ipsis rebus naturalibus à Deo concessam, verè educuntur de potentia materiæ, quia non creantur. At docent Sacræ Literæ, terræ & aquæ concessam esse facultatem & potentiam emittendi ex se hæc viventia. Er. formæ illorum verè de potentia materiæ educuntur.*

§. 65. Hæc ex Scripturis SS. prolata, quanta quanta sunt, Aristotelica sunt. Apud ipsum enim materialis materialium formarum & animarum productio, quam eductionem de potentia materiæ in Scholis salutare consvevimus, habetur sacrosancta, ceu alibi (*Disp. 5. de Ort. formar.*) à nobis monstratum. Omnium optimè & clarissimè id docuit *in l. 2. de gen. animal. c. 3.* ubi illas animas, quæ cum corpore communicant, asserit ingenerari corporibus suis, Mentem verò, h.e. animam rationalem, utpote quæ cum corpore & corporis actione non communicat, θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον, h. e. *forinsecùs ingredi, solamq; divinam esse.*

§. 66. Ubi non est, ut dicas, Aristotelem loqui de hodierna animæ rationalis productione. Resp. esto; unus tamen est productionis modus, quandocunque fiat anima rationalis, aut aliæ etiam formæ. Materiales enim materialem, immateriales immaterialem productionis habent modum; ille est eductio è potentia materiæ, hic est creatio. In hanc rē, quoad animam rationalem, sunt præclara Ambrosii verba *Tract. in Symbol. Apost.* sic scribentis: *quod ita esse mulieris nos docet exemplum, quæ cum de costa Adæ in mulierem formata esset, posteà animam à Deo accepit. Quæ creationis forma usq; in finem mundi in nobis servatur. Quotidiè ergo Deus in plasmatis jam*

corporibus animas facit & infundit. Et Brentius *Tom. 1. comm. in Gen. c. 2. p. 32. Sicut Deus ab initio inspiravit homini spiraculū vitæ, h. e. animam, ita pergit singulis hominibus suas animas verbô suo creare & inspirare. Hinc est, quòd veteres dixerunt, Deum creando animas infundere, & infundendo creare.*

VII. Mundus est unus.

§. 67. Scriptura S. non nisi unius meminit Mundi. Similiter Aristoteles, qui *lib. 1. de Cœlo c. 8. & 9.* aliquot argumentis disputat de unitate Mundi, ad quem locum videantur Conimbric. commentarii, & adjungatur August. *l. 18. de Civit. Dei c. 14.* & *Plutarchus l. de plac. Philos. c. 8.* Omnium autem clarissimè hoc propositum extat *in lib. de Mund. c. 5.* ubi hæc habentur: *Itaq; universorum coagmentationem* (τῶν ὅλων σύςασιν) *cœli,* inquam, *& terræ, & universi Mundi* (σύμπαντ@ κόσμȣ) *natura ipsa digessit,* &c. Et posteà: *terram omnem, omne mare,* &c. *vis una per omnia pertingens certô descripsit ordine, ex diversis naturis* (aëre, terra, igne & aqua) *Mundum* (σύμπαντα κόσμον) *architectata.* Hîc unus tantùm mundus describitur. Imò ex nominibus etiam Mundi unitatem probavit (vel, probatam vult) Philosophus. Mundus dicitur τὸ πᾶν, item τὸ ὅλον. Si igitur Mundus est omnia, nihil est præter Mundum, ipse adeoque unus est. Imò ὅλον, in quantum ὅλον, unum est.

VIII. Mundus est perfectus.

§. 68. *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & ecce, erant valdè bona,* h. e. valdè perfecta, *Genes. ca. 1. v. ult.* Quod unum Scripturæ S. testimonium locô omnium sit. Perfectionem Mundi pluribus docet & ostendit Aristot. *In lib. de Cœl. c. 1. t. 4.* infit: τὸ δ' πᾶν ȣ̃ ταῦτα μόρια, τέλειον ἀναγκαῖον εἶναι, h. e. *ipsum autem omne* (seu universum) *cujus hæc* (enumerata scil.) *sunt partes, perfectum esse necesse est.* Imò hoc ipso, quô πᾶν seu ὅλον dicit, perfectionem ejus indigitat.

§. 69.

§. 69. Colligiturque id insuper ex aliis multis Philosophi dictis, ut quando e. g. ait, *Naturam semper id facere, quod est optimum eorum, quæ fieri possunt, lib. 2. de Cœl. t. 34. lib. 8. Phys. t. 48. l. 4. par. an. c. 10.* Si verò Natura à Deo ita instructa est & dotata, ut non nisi id, quod optimum est, facere calleat, ipsam sanè optimam adeoque perfectissimam esse consequitur. Æquipollent autem, quantum ad præsens, *Mundus, Theatrum Naturæ, Natura,* &c. ut hoc ipso, quo Mundum perfectum dicis, Naturam dicas perfectam, & vicissim.

IX. Mundus, juxta Aristotelem, est interiturus.

§. 70. In Scripturis Sacris hæc res est certa; de Aristotele, de quo fortè dubitaveris, dispiciemus. Sed ecce! ex ipso idem hoc assertum deducimus & manifestum facimus. Docet Aristoteles, Naturam & omnes res naturales dependere à Deo, ceu vel unicè è *lib. de Mund. c. 6. & 7.* liquet. Jungantur loca *supr.* §. *13. seqq.* in medium citata. Habebit igitur Natura, habebit Mundus aliquod initium juxta Aristotelem. Omne autem quod habet initium, habere quoque finem, docet locô non unô; *l. 3. Phys. t. 30. lib. 1. Cœl t. 102. 106. & 109.* Add. *l. 2. Cœl. t. 2.* Jam subsume ex Aristot. & conclude; prodibit hæc assertio; *Mundum habere finem,* quod idem est, ac si inferas & dicas: *Mundum interiturum esse.*

§. 71. Sed inquis, Philosophum loqui de naturali naturalium rerum principio & fine, sive de eo, quod incipit naturaliter, & desinit naturaliter. Resp. esto; propositio tamen Philosophi generalis reddi potest & absoluta, ut habeat locũ æquè in illis, quæ supernaturaliter fiunt desinuntq;, ac in illis, quæ naturaliter. Deinde, quamvis non sit universalis de actu, est tamen, de potentia si accipias; omne quod incepit, habet, aut habere potest finem, quod verũ est de quovis ente finito, collato ad potentiam absolutam Dei. Sicut enim omnia, quæ esse inceperunt, à Deo acceperunt esse; ita vicissim ab

eo destrui possunt; quod principium omninò in Philosophia Aristot. est fundatum. Habent autem, & habebunt finem ea, quæ Deus (& quando) vult destruere. Sicut enim liberè omnia creavit Deus, ita liberè in esse conservat, quæ vult, & quamdiu vult, & denique destruit, uti dictum, quæ vult, & quando vult.

§. 72. Deus enim, qui, juxta Aristot. nullius externi boni est indigens, sicut liberè Mundum creavit, ita liberè eundem conservat, h. e. ita eum conservat, ut etiam possit non conservare. Unde fluit, eum, qui liberè construxit Mundum, ipsum quoque eundum posse destruere, si ipsi complacitum fuerit. Hinc, qui libertatem (eamque summam) agendi in Deo habet cognitam, uti habuit Aristoteles, ipse non negaverit, Deo integrum esse, h. e. penes ipsum stare, servare rem, vel non servare, destruere, vel non destruere, &c.

§. 73. Struimus itaque, & quidem ex Arist. mente syllogismum: à quocunque Mundus liberè constitutus & adornatus est, ab eo is vicissim potest destrui. Sed à Deo Mundus fuit liberè constitutus & adornatus. Er. Mundus à Deo (si ipsi ita visum fuerit) potest destrui. In hac argumentatione & Major propositio & Minor fundantur in Aristotele, ceu ex disputatis & probatis manifestum est.

X. Mundus juxta Aristot. non est æternus intellige, propriè & verè.

§. 74. Hæc propositio ex jam dictis est manifesta. Quidquid enim incepit esse, & esse desinit, vel, saltem desinere potest, illud non est æternum. Mundus (Aristoteli) incepit esse, & desinit esse. Er. Mundus (juxta Aristot.) non est æternus. Vel: quidquid à Deo liberè fuit constitutum & adornatum, ab eoque vicissim destrui potest, illud nequit esse æternum, intellige, propriè & verè. Atqui Mundus à Deo libe-

liberè fuit constitutus & adornatus, ab eoque vicissim destrui potest, quando ipsi visum placitumque fuerit. Er. Mundus non est æternus, scil. propriè & verè. In hoc syllogismo Major est irrefragabile principium; Minor verò est Aristotelis, (ceu in præcedentibus manifestum fecimus) quamvis non κατὰ τὸ ῥητὸν, tamen κατὰ τὴν διάνοιαν.

§. 75. Sed ecce! ex Aristotele evidentissimè probamus id, quod probandum nobis sumsimus. Dat enim Majorem, dat Minorem. *In l. 1. de Cœl. t. 102. & 106.* ubi ait *impossibile esse, aliquid perpetuum* (ἀΐδιον) *simul & factum esse*. Et: *factũ esse, perpetuum tamen esse, asserere, ex iis profectò est, quæ nequeunt esse.* Hinc ita: quidquid factum est, id nequit esse perpetuum sive æternum. Sed Mundus (Aristoteli) factus est, *lib. de Mund. c. 5. & 6.* Er. Mundus (juxta Aristot.) nequit esse æternus, scil. propriè & verè.

§. 76. Sed inquis, Aristotelem *l. d.* statuere, æternitatem Mundi; & alibi, nempe in *l. de Mun. ca. 7.* tradere, *Mundum esse* (vel durare) *ab ævo in alterum ævum*. Resp. non ex nudis vocabulis ubicunque & quomodocunque positis judicandum est de re, sed respiciendum est ad subjectam, de qua sermo est, materiam, & videndum, qualem significatum voces, quæ adhibentur, habeant, vel admittant. Imò similes phrases licet invenire in Sacris Literis. *In Eccles. ca. 3. v. 14.* dicitur, *didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverant in æternum.* Hinc facilè quis inferet: si opera Dei sunt æterna, igitur Mundus quoque erit æternus. Sed ad hoc & alia de professo in altera hujus Tractat. parte.

Articulus II.

De Institutione & Ordine Naturæ.

§. 1.

HActenus vidimus, quid Aristoteles de Mundi Constitutione nobis scriptum reliquerit, & quomodo ejus doctrina cum Scripturis SS. consentiat; deinceps de Naturæ institu-

ſtitutione & inſtructione, ut & hanc ex Ariſtot. oſtendamus, & in ea ipſum Scripturis SS. conſentientem reddamus, ſoliciti erimus. Proponemus autem primò rem in genere, poſteà ad ſpeciem deſcendentes.

§. 2. Deum verò, omnium rerum Conditorem, non ἀτάκτως, ſed εὐτάκτως, imò εὐσυντάκτως omnia feciſſe, omniaque ſapientiſſimè ordinâſſe, ex Geneſeos Hiſtoria conſtat. Et teſtatur hac de re alibi Scriptura Sacra. Nimirum *in Pſal. 104. v. 24.* Et *Sapien. c. 11. v. 21.* dicitur de Deo, *quòd omnia in menſura & pondere diſpoſuerit.* Accinit Ariſtoteles *in lib. de Mun. c. 5.* ubi docet: *quòd Potentia Divina cuncta adornaverit*, certô ordine deſcripſerit, & concinnè digeſſerit. Et *ſeq. c. 6.* ait, *univerſum hunc Cœli terræq́ ordinem* (διάκοσμον) à Deo *adminiſtrari & regi*, h. e. quô ordine Cœlum & Terra (& cuncta, quæ in illis poſita ſunt) à Deo primitùs ſunt conſtituta, eô ab ipſo ſervantur eo adminiſtrantur.

§. 3. Offert autem ſe hîc *duplex* potiſſimùm *ordo; rerum* & *cauſarum*, h. e. quomodo res ordinatæ invicem ſint, & quomodo ipſæ, ſeu quibus legibus inſtructæ fuerint ad actiones ſuas obeundas. *Primò*, ſapientiſſimus Mundi Architectus certum rerum ordinem inſtituit, ſingulis ſua loca & habitacula aſſignando, Cœlum ſupremô, Terram infimô locô conſtituens, aliis intermedia loca decernens, qui Ordo ex *cap. 1. Geneſ.* clarè perſpicitur, de quo & aliis pluribus videatur Valleſ. *l. d. c. 70. tot.* *Deinde*, rerum Conditor Creaturis corporeis, ne ſint otioſa terræ pondera, vires agendi ſive operandi tribuit, aliis quidem & aliis alias & alias, puta, cunctis juxta ſpecies ſuas convenientes, illiſque leges & limites conſtituit, intra quos ſeſe in actionibus ſuis contineant.

§. 4. Totius hujus rei, quà Scripturam Sacram, elegantiſſimam habemus deſcriptionem *in Pſal. 104.* & *Eccleſiaſtic. ca. 43. tot.* ubi Scriptores Sacri in eo ſunt unicè, ut opera Dei (quà creationem, quà conſervationem, ordinationem &
gu-

gubernationem Mundi) extollant & celebrent. Jungimus *Ecclesiastici caput 14.* (vel *cap. 16.*) *vers. 26.* ubi quidem alia & alia versio. Nobis placet illa, cui respondet Germanica B. Lutheri, quando nimirum ita legitur *d. v. 26. Deus ab initio opera sua benè ordinavit, & unicuiq; suum dedit officium, conservatq; in hoc ordine de die in diem. Indesinenter funguntur singula munere suo, alterumq; ab altero non impeditur, & æterno huic mandato parent omnia. Præterea respexit etiam terram, eamq; replevit operibus suis: terram etiam implet animalibus, quæ rursus subter terram veniunt.*

§. 5. Hisce planè conformia tradit noster Philosophus *d. l. de Mun. c. 6. fin.* Postquam enim dixerat, *universum hunc Cœli Terraq; Ordinem à Deo administrari & regi*, addit: *in omnes ipse naturas partitus, pro universitate seminum* (hîc distincta semina, & distinctæ virtutes generandi, pro distinctis speciebus viventium) *in ea, quæ hærent solô, atq; in animantia, quæ ipsa etiam suis generibus, formisq; distincta sunt. Nam & vites fiunt & palmæ, & perseæ, ficiq; dulces, & olivæ. Tum quæ fructus expertes, alios usus præstant, platani, pinus, buxi, alni, populus etiam nigra, & cupressus odorata: Tum quæ autumni tempore fructū suavem fundunt, sed conditu difficilem, pyri, punicæ, mali. At verò animantium aliæ feræ sunt, & aliæ cicures; tùm in aëre, tùm humi, tùm in aqua victitantes: oriunturq; & invalescunt, & deinde intereunt, legibus obtemperantes divinis* (τοῖς τοῦ θεοῦ πειθόμενα θεσμοῖς) *& cedentes.*

§. 6. Quia verò quà species (vel, speciales modos) magna hîc varietas, ideò distinctis propositionibus, sicut hactenus quoque fecimus, negotium hoc expeditum dabimus.

I. Causæ naturales ex instituto Naturæ agunt per proprias vires.

§. 7. In Scripturis Sacris res hæc certa est, est quoque apud Aristotelem, id quod vel ex unico liquidum facimus & mani-

manifestum. Dicit Scriptura Sacra: *Adam genuit filios & filias,* &c. dicit Aristoteles: *homo generat hominem.* Hanc agendi efficaciam tribuit Deus non soli homini, sed cunctis animantibus, quando dixit: *crescite & multiplicamini,* &c. eandem Aristoteles statuit, quando *animam vegetativam principium generandi* statuit *l. 2. de anim. t. 49.* Quò præprimis pertinet, quòd Scriptura dicit, *Genes. 1. v. 11. & 12.* quòd Deo dicente, *terra protulerit herbam virentem & facientem semen juxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; in semetipso semen secundùm speciem suam.* Hoc ipsum quoque dixit Aristot. in *l. de Mund. c. 6.* quòd rerum Conditor fuerit *partitus naturas pro universitate seminum in ea, quæ hærent solò, atq; in animantia, quæ ipsa suis generibus formisq; distincta sint.* Hinc *fiunt vites & palmæ, & persea, ficiq; dulces & olivæ, &c.* ceu in §. *antec.* posita habent verba.

II. Cœlestium corporum, h. e. siderum, ex prima naturæ institutione, plura sunt munera & officia.

§. 9. Primò, *sunt in signa & tempora, dies & annos, Genes. 1, v. 14. Fecit lunam in tempora; sol cognovit occasum suum: Posuit tenebras, & facta est nox, ex Psal. 104, v. 19. & 20.* Jungatur *Ecclesiastic. ca. 43. v. 3. & 6.* Hic ordo ab Aristot. *in lib. de Mundo* prolixè & enixè descriptus habetur. Etsi quæsiveris, cur annuô spatiô Sol cursu suo orbem suum conficiat, ortu & occasu diem noctemque disterminet; item, cur Luna mense orbem suum peragat, cur interdum accrescat, interdum decrescat, &c. respondet Aristot. quia hoc modô Deus ordinavit, & tali lege sidera in Cœlo constituit, *d. l. de Mun.* aliquoties, *ca. 2. 5. & 6.*

§. 10. Deinde, motus Cœlestium est causa motuum & actionum in hisce inferioribus, non quidem omnium, sed multorum, imò plurimorum. Multas enim actiones planè desituras, plurimas à suo vigore, in quo nunc sunt, cessatu-

saturas esse, certum est, siquidem motus cœli noctem & diem, ita loquendo, concreat, sol motu suo diversa anni tempora constituit; imò sine motu Cœlestium tàm generatio quàm corruptio rerum locum habere vix poterit. Docuit hoc Aristot. *l. 8. Phys. c. 11. 1.* & præcipuè *l. 2. de ort. inter. c. 10. tot. l. 8. Phys. c. 6. t. 53.* Consentit Scriptura S. in locis antè citatis, ubi videndum est.

§. 10. Deniqne, Cœlestia corpora sive sidera sunt causa generationum in hoc inferiori Mundo. *Aristot. lib. 1. de gen. animal. c. 2.* statim post initium; *quam ob rem in Universo Cœlum & Solem, & reliqua generis ejusdem nomine genitoris patrisq; appellant.* Sic quoq; Scaliger *Exer. 75. §. 9. p. 276.* Huc pertinet, quòd ait Arist. *solem* (& hominem) *generare hominem, l. 2. Phys. c. 2. t. 26.* Eandem quoq; ἐνέργειαν Scriptura tribuit Cœlo, & quidem in loco non uno. Sic *Deuter. 33, v. 14.* ait Moses ad Joseph: *De benedictione Domini terra ejus, de optimis donis Cœli, de rore & de abysso; & de optimis donis Solis, & de optimis donis mensium,* &c. Conf. *Jerem. 7, ver. 18.* & *Jer. 44, v. 17. & 18. cum glossa margin. Lutheri.*

III. Viventia, juxta Dei institutionem, generant sibi simile.

§. 11. Hìc respiciendum primò ad *Dei institutum*, deinde ad *Naturæ exercitium* sive *actum ipsum*. Illud proponitur in *c. 1. Geneseos*, ubi *Deus jussit terram progerminare herbas & arbores, quæ suum, juxta speciem suam, proferant semen*, quòd nimirum medium sit, quo plantæ sese multiplicare, & speciem propagare possint. Quod etiam *factum est ita*, nempe protulit terra ejusmodi herbas & arbores, quæ semen juxta species suas afferant, ut mediante illo sese multiplicent & propagent, *ver. 11. 12.* Posteà Deus jussit animantia ipsumque denique hominem sese multiplicare, dum dixit, simul

& benedixit cunctis; *crescite & multiplicamini, & replete aquas, terram, vers. 23. 24. & 28.*

§. 12. Hoc Dei institutum novit quoque & exposuit Aristot. quando (1.) in *l. 2. de an. t. 49.* docet, *animam primam*, (quam vegetativā intelligit) *esse generativam talis* (intellige, 1. corporis, 2. talis in specie) *quale est id, quod ipsam habet.* Quô ipso univoca viventium generatio (ipsaque adeò Dei institutio) satis clarè edocetur. (2.) Aristoteles semen tribuit plantis *ib. 3. de gen. anim. c. 2. & c. 11.)* & animalibus, *(in libris de gener. animal.* hinc inde sæpissimè) quô mediante eorum perficitur generatio.

§. 13. Si jam ipsum *Naturæ opus* respicias, illud æquè claret in Aristot. ac in Divinis Scripturis. Testantur hac de re amplissimi de Generat. anim. libri, in quibus non solùm generationem ipsam animantium, verùm quoque ejus principia & causas, varium item generationis modum propositum & expositum invenimus.

IV. Secundùm Naturæ institutionem, duplex in ea datur generatio, univoca & æquivoca, adeoq; causæ generantes duplices, &c.

§. 14. De univoca generatione modò constitit; æquivocam jam monstrabimus. In Aristotele ipsam doceri nullum est dubium. In *Lib. 1. de ort. int. c. 5. t. 30. Gignitur absolutè unum ex alio, atq; ab aliquo actu existente, quod ejusdem sit aut generis, aut speciei; ut ignis ab igni, homo ab homine, aut ab actu; durum enim à non duro fit*; quomodo e.g. frigus actu generat durum, sibi dissimile ex aliquo actu, puta, molli. Quo ipso generatio æquivoca innuitur. In *l. 7. Metaph. c. 9. t. 31.* ait: *non omnia oportet quærere, sicut homo ex homine; etenim mulier ex viro. Unde mulus non ex mulo.* Quibus verbis significatur, non omnia fieri ex purè & totaliter univocis, uti

loqui-

loquitur Scotus *in h. l. p. 226.* sed varios generationis modos hîc occurrere. Clarissimus est locus *in l. 4. Meteor. c. 1.* ubi, *quin etiam in hisce, quæ putrefiunt*, inquit, *animalia gigni solent*; quæ non alia, quàm æquivoca est generatio, ceu notum est.

§. 15. Eosdem hosce diversos generationis modos Scriptura S. aperit. Mulorum generatio *Genes. c. 36, v. 24.* describitur, quæ, ita loquendo, est semi-æquivoca generatio. Vermium quoque generatio, ex pane putrescente, quæ est purè æquivoca generatio, exponitur *Exod. 16, v. 20.* his ipsis verbis: *scatere cœpit (panis) vermibus, atq; computruit.* Res hæc cum ex pauculis hisce liquida sit, ad alia transimus.

V. Omnia propter hominem, & ultimò propter Deum.

§. 16. Prius proponitur nobis *in Genes. c. 1, v. 19.* ubi sic: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, in quibus est fructus, & producunt semen; ut sint vobis in escam*, &c. Et in *antec. ver. 26. dominetur (homo) piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæq; terræ, omniq; reptili, quod movetur in terra.* Similiter *ver. 28.* Repetit infrà *c. 9. v. 3. omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, olera viventia tradidi vobis omnia.* Conf. *Ecclesiastic. 17, v. 3. & 4.* Quòd autem Scriptura S. Deum finem faciat omnium, tanquam certissimum notissimumq; supponimus.

§. 17. Quando Aristotelis Physicam adimus, hunc ordinem, vel hanc Dei ordinationem invenimus. Illa enim docet, cuncta in Mundo habere ordinem inter se, h. e. inter se ordinata esse, ita quidem, ut unum ordine suo respiciat alterum, seu propter alterũ sit. Sic elementa sunt propter mista, & inter hæc inanimata propter animata, & inter hæc plantæ propter animalia bruta, hæc rursus propter hominem, qui,

quoniam quodammodo finis est, omnibus quæ sunt, propter se utitur, dicente Aristot. *l. 2. Phys. t. 24.*

§. 18. Ordinem hunc perpulchrè monstravit Aristot. *in 1. Polit. c. 8. Plantæ animalium sunt gratiâ, & cætera animalia hominum causâ, mansueta quidem propter utilitatem & cibum, fera verò etsi non omnia, attamen plurima illorum propter cibum & alia adjumenta, ut vestes & cætera instrumenta ex illis fiant. Si igitur Natura nihil neq; imperfectam facit, neq; frustrà, manifestum est, illa omnia hominum gratiâ Naturam* (Naturæ Authorem) *fecisse.*

§. 19. Omnia tamen, quæcunque sunt in Naturæ Theatro, ad unum tandem Ordinis authorem ordinata esse, quem ut finem ordine suo respiciunt, docet Aristot. *l. 12. Met. ca. ult.* ubi insuper ait: *omnia quodammodo sunt ordinata, sed non similiter & natantia & volatilia, & quæ è terra nascuntur; neq; ita inter se affecta, ut alterum cum altero nihil communicationis habeat*, &c. Et mox: *Ad unum enim omnia ordinata sunt.* (πρὸς μὲν γὰρ ἓν ἅπαντα συντέτακται.) Per *unum* autem nullum alium intelligit, quàm Ordinis authorem, Deum, quem in initio hujus capitis τὸ ἄριστον seu *Optimum* (vel Summum Bonum) dixerat.

§. 20. Ex quibus tandem apparet, Deum juxta Aristot. omnium rerum, seu totius Universi finem ultimum esse. Ad quod enim & propter quod omnia sunt ordinata, ipsum verò propter nihil aliorum, illud est finis ultimus omnium istorum. Sed omnia in Mundo ordinata sunt ad unum, ad Summum Bonum, scil. ad Deum, sive, propter Deum sunt omnia, quæ sunt, ipse verò propter nihil horum, ceu perspicuè Aristot. *l. d.* docet. Deus igitur (seu Summum Bonum) est finis ultimus omnium illorum.

VI. Omnium rerum in Naturâ vicissitudo.

§. 21. Not. sermonem esse de rebus naturalibus, in quan-

quantum tales sunt, mutationibusque naturalibus substant. Ita lege Naturæ cautum est. Generatio advenit, generatio præterit, inquit *Eccles. 1, v. 4.* Ubi alia similia habentur. Pulchrè huic Ecclesiastæ consentit illud *Ecclesiastici ca. 14, v. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia dejiciuntur, sic generatio carnis & sanguinis: alia finitur, & alia nascitur,* &c. Addimus & sequentia. *Mortales velut herba immutantur, quæ mane floret ac vires accipit, vesperi arefacta resecatur,* sive, *arescit & decidit, Psal. 90, v. 6.* Cui accinit *Psal. 103, v. 14. & 15.* ubi sic: *hominis ætas fœno similis est, floretq; ut flos in agro, qui nullus erit, si eum ventus pervaserit.* Quibus duobus dictis terræ nascentium (herbarum, puta, graminum, florum, &c.) pariter & hominis caducitas edocetur.

§. 22. Hæc ipsa Aristotelis quoque doctrina est. In sæpè allegato *lib. de Mund. c. 6. fin.* ait de rebus viventibus: *oriuntur, invalescunt, corrumpuntur.* Cujus rei fundamenta proponuntur *in Lib. de Juven. & Senect. Vit. & Mort.* ubi vid. Imò *unius generationem esse alterius corruptionem,* & vicissim, *unius corruptionem alterius generationem esse* docet *in l. 1. de ort. & int. t. 17. 21. & 23.* Conf. *l. 3. Phys. t. 73.*

VII. Ex institutione & lege Naturæ omnia resolvuntur in ea, ex quibus facta sunt & constant.

§. 23. Docet hoc Aristot. in loco non uno. *In l. 3. de Cœl. t. 14. & 42. lib. 3. Metaphys. t. 15.* Confer. *l. 1. Cœl. cap. ult. fin.* Hoc idem docet Scriptura S. quando de Adamo dicit, quòd *reversurus sit in terram, unde fuit desumtus, Genes. 3, v. 19.* Id quo repetitur *in Eccles. c. 12, v. 7.* & *Ecclesiastic. 40, v. 11. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertentur.*

VIII. Ordo Mundi à Deo conservatur in perpetuum.

§. 24. *Ordo Mundi est perpetuus,* (ἀΐδιος) inquit Aristot.

l. 2. de Cœl. ca. ult. t. 96. Quod intelligendum est de longa duratione, quæ nimir. Naturæ convenit. Et à Deo hoc esse docet Aristot. *l. de Mun. c. 2. init.* τάξις καὶ διακόσμησις ὑπὸ τοῦ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη, h. e. *ordo & digestio universorum à Deo & per Deum custoditur*, utpote ex quo & per quem omnia sunt constituta, *l. d. ca. 6. post init.*

§. 25. Idem hoc, quantum ad rem ipsam, in Scripturis SS. propositum habemus. In *Genes. ca. 8. ver. ult.* dicit Deus: *Cunctis diebus terra, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non cessabunt.* Cunctis diebus terræ, h. e. quàm diu stabit terra, (vel quàm diu durabit & vigebit Natura) non cessabunt ista, sed manebunt & vigebunt, siquidem Deus ista ita constituit in prima creatione & rerum dispositione. Et hoc est illud ἀΐδιον Aristotelicum, quod nimirum constitutæ Naturæ convenit.

§. 26. Cunctis quoque diebus terræ non cessabunt rerum generationes in Natura, siquidem Benedictionis Divinæ, quam post Diluvium repetiit Dominus *Genes. 9, v. 1.* vigor perseverat in perpetuum. Id quod Aristot. pulchrè confirmat *in l. 2. de Ort. & int. c. 10. t. 59.* ajens, *quòd Deus Universum compleverit continuâ factâ generatione.* Ita habet textus Græcus: ὁ θεὸς συνεπλήρωσε τὸ ὅλον, ἐντελεχῆ ποιήσας τὴν γένεσιν. Quo ipso ipse Deus operatur secundùm ordinem Naturæ à se præscriptum, εὐθεία περαίνει κατὰ φύσιν πορευόμενος, *l. de Mund. ca. 7. fin.*

Supplementum Propositionis X. in artic. 1.

Probatum fuit ibi, & quidem ex Aristot. Mundum non esse ab æterno. Idem jam agemus, pleniorem & planiorem hujus rei ἐξήγησιν καὶ ἀπόδειξιν afferentes. Primò *in lib. de Mun. c. 5.* sequentia dicit Philosophus; 1. quòd *Divina Potestas, terram omnem, omne mare, solem, lunam, totumq; Cœlum adornaverit*, (διεκόσμησε) 2. quòd *è diversis & impermixtis naturis (aëre, terra, igne & aqua) Mundum fuerit*

fuerit architectata, (*δημιουργήσασα*) 3. quòd *Mundum globoſâ figurâ comprehenderit* (*μιᾶς σφαίρας ἐπιφανείᾳ διαλαβοῦσα*) 4. quòd *naturas quam maximè contrarias adſtrinxerit* (ἀναγκάσασα) *ad conſenſum*, & 5. *hac rerum molitione Univerſitati ipſi ſalutem machinata ſit. Hinc fluit* συλλογίζων λόγος: quidquid ita factum eſt, uti Ariſtot. jam recenſuit, nimirum per *δημιουργίαν*, per διακόσμησιν, &c. illud juxta ipſum nequit ab æterno eſſe. Sed Mundus & res Mundi juxta Ariſtot. ita factæ ſunt. Er. Mundus & res Mundi (uti ſunt Cœlum, Terra, Mare, &c.) juxta ipſum non poſſunt eſſe ab æterno. Deinde *ſeq. ca. 6 init.* dicit docetque, *univerſa ex Deo & per Deum conſtituta eſſe*; *συνέστηκεν*, inquit. Quæ conſtitutio (tùm quà rem, tùm quà modum) procul omni dubio non eſt alia, quàm ea & ejusmodi, quam *cap. antec. 5.* deſcripſit. Et quis negaverit, diſtinctam diſtinctarum rerum conſtitutionem Ariſtoteli per naturam fuiſſe cognitam? Ut benè ſe habeat argumentum hoc modô formatum: quæcunque diſtinctim conſtituta ſunt juxta naturas ſuas, illa nequeunt eſſe ab æterno. Sed res mundi, ſive corpora naturâ conſtantia diſtinctim conſtituta ſunt juxta naturas ſuas. Er. Corpora naturâ conſtantia nequeunt eſſe ab æterno. Major ex terminis conſtat; Minor eſt Ariſtot. Idem hoc, aſſumtis dictis ſuprà ex Libris Metaphyſic. allatis, oſtendimus. Nimirum: *Deus eſt principium & cauſa rerum; à Deo Cœlum & Natura dependet.* Hæc neque intelligi volunt, neque intelligi poſſunt de æterno rerum Ortu. I. Non volunt; eorum enim (tanquam generaliorum dictorum) intentio explicanda eſt ex ſpecialibus Ariſtot. dictis, quæ in lib. de Mundo inveniuntur. Quod confirmatur: de unaquaque re judicandum ex propria & genuina tractationis ſede. Ortus autem Mundi ab Ariſtot. non in Libb. Metaphyſ. ſed in Lib. de Mundo docetur. Ex hoc igitur libro judicium faciendum de Ortu Mundi. Ita igitur ſe habet ortus Mundi juxta Ariſtot. uti in lib. de Mun. docuit. II. Non poſſunt Metaphyſica Ariſtot. dicta intelligi de æterno rerum Ortu. Etenim aut intelliguntur de ſimplici rerum emanatione, quâ res ab æterno prodierint ex Deo ſine novitate eſſendi; aut intelliguntur de tali dependentia, quâ res, quæ antè non fuit, de novo fit. Non prius. Aut enim ſimul & ſemel in ſimplici æternitatis *νῦν* cuncta ex Deo (juxta Ariſt.) prodiêre, aut non. Si non; habemus, quod volumus. Si verò affirmativam aſſumſeris, talia inconvenientia ſequuntur, quæ Philoſopho extremè adverſantur, & quæ ipſe ne quidem per ſomnium cogitavit, præcipuè, quòd res ſpirituales & corpo-

corporeæ, quòd materia & res à materia tàm dependentes quâm independentes, quòd materia & res materiâ constantes, h.e. composita Physica, eaque plurima & ferè infinita, unâ & eâdem numero actione à Deo provenerint, quod à Philophia Arist. est alienissimum. Hæc siquidem res spirituales, ipsamque materiam primam independenter, res verò materiales dependenter ab ea fieri, ipsaque corpora ex materia & forma confici statuit. Quâ alterum verò, quærimus: an natura & res naturales sint àDeo per creationem, an per generationẽ, (hos enim duos fiendi modos habet Arist.) an per utramque? Resp. per utramque, sed diversâ ratione, & secundùm diversa, sive secundùm diversas naturas. Quædam enim, juxta Aristotelem, creatione, quædam generatione petunt fieri, ceu ex suprà *(in ar. 1.)* dictis & disputatis constat. Hîc, an æternam rerum creationem & generationem admiserit Aristoteles, aut admittat Aristote[..]s Philosophia, dicant ex ipso Aristotelomastyges. Deinde, τὸ dependere, & τὸ fieri rerum non alio, quàm eô modô intellexit Aristoteles, qui rebus & rerum naturis convenit. Non enim voluit, Cœlum Naturamve dependere à Deo, repugnante ipsis modô; sed eô, qui unicuique secundùm naturam suam convenit, quô etiam cuncta facta esse, ex ipsa Geneseos descriptione perspicitur. Verbô: Aristotelis δημιουργία & σύστασις (δημιούργημα καὶ σύστημα) non est alia, quàm ea, quæ in sacra Geneseos historia descripta invenitur. Nunc quærimus: annon illa, quæ distinctum habent esse, distinctasque naturas, habeant quoque, juxta Aristotelem, distinctum modum ortus sui, nimirum ut illa, quæ habent esse à materia independens, fiant independenter à materia, quæ verò esse dependens, fiant dependenter ab ea? Omninò. Debet enim, juxta Aristot. doctrinam, actionis terminus actioni ipsi respondere. Ita er. uti sequitur, Aristotelis docet Philosophia: quæcunque habent distinctum esse, distinctasque & diversas naturas, illa quoq; habent distinctum & diversum dependendi modum. Sed res Mundi habent distinctum & diversum esse, &c. quædam enim habent esse immateriale, quædam materiale; quædam esse completum, quædam incompletum, &c. Er. res Mundi habent distinctum & diversum dependentiæ modum. Si hoc; Er. res Mundi non sunt ab æterno, siquidem in æternitate & ab æternitate talis fiendi & dependendi distinctio atq; diversitas locum non habet. Importat enim hæc ordinem & seriem constitutionis rerum juxta diversas naturas, quæ æternitati repugnat.

Deo, Naturæ Authori & Conservatori gloria.

Exhibens SECTIONIS II.

Artic. Tertium.

PARASCEVE
Continens supplementum artic. secundi
De Ordine Naturæ

§. I.

INſtitutum à Deo Naturæ Ordinem breviſſimis ſuprà, tàm ex Scriptura S. quàm ex Ariſtotele expoſuimus, de eo uberiùs hîc dicturi. Offert autem ſe duplex potiſſimùm ordo in Natura, 1. in rebus, quo nimirum ordine ſint conſtitutæ ſeu collocatæ; 2. in cauſis naturalibus, quem nimirum vel activitatis, vel paſſivitatis ordinem ſive rationem ex inſtitutione Naturæ habeant, quæ activitatis ſphæra illis tributa, quæ lex præſcripta, juxta quam tùm agant, tùm patiantur, quæ vel ad agendum, vel ad patiendum ordinata ſunt.

§. 2. Quà primum, ordo collocationis cum ordine productionis, prout in ſacra Geneſi deſcriptus extat, (quem Ariſtoteles ignoravit) conferendus eſt. Suggeritque nobis creationis hiſtoria ſimpliciſſimam Mundi diviſionem in *Cœlum, aërem, aquam* & *terram*. Et inter hæc unum primum eſt & ſummum *Cœlum*, puta; alterum ultimum, & quaſi baſis atq; fundamentum omnium reliquorum corporum, *Terra*.

§.3. Primò; *Cœlum* unam de præcipuis Mundi partibus eſſe, teſtatur præcipuè Geneſis, quando *in cap. 1.* ait, *Deum creâſſe Cœlum & Terram*. Quam phraſin Scriptura S. retinet, quando veri Dei mentionem facit, ut ei tribuat hoc opus, quòd nimirum fecerit Cœlum & Terram. Deinde; *Aëris* quidem non fit expreſſa mentio in Geneſi; periphraſticè tamen deſcribitur, & vocatur ille locus, qui eſt ſub firmamento Cœli, nimirum inter Cœlum, Terram atque Undas.

Inde aves vocantur volatilia Cœli, *Matth.6, v.26.* i, e. in aë-re (in expanso aëreo) sub Cœlo viventes & volitantes. Unde haut incommodè aves incolæ aëris vocari possunt.

§.4. Porrò: *Aqua* locus est supra terram, ita ut terræ innatet. Quò enim hominibus esset commodior habitationis locus, Deo sic visum est, quædam terræ loca extra mare extrahere, marique suos terminos circundare, ultra quos non exundet. Denique: *Terra* locus est in medio Universi. Extraxit enim Deus aridam ex aquis, ut homines atque animantia in ea possent habitare. Nam sic inquit Deus: *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida. Et vocavit Deus aridam terram, congregationem verò aquarum vocavit maria.*

§.5. Et hæc est prima Mundi constitutio, (πρῶτον σύστημα) ex primis & simplicibus corporibus. Absolutis verò & constitutis illis corporibus, tanquam domiciliis, posteà Deus in illis alia quædam corpora condidit atque posuit, puta, in Cœlo Stellas, in Aëre aves, in Aqua pisces, in Terra animantia, ipsumque denique hominem. Atque hujus rei causâ segreganda à terra aqua, & congreganda in unum locum, ut fieret apta habitationi animalium, & fructificationi gignendorum ex ea.

§.6. Eodem modô ordinem rerum in Natura descripsit Aristot. *in l. de Mun. ca. 2. & 3.* Ita autem habet enarratio: *Æther verò cum divina contineat corpora,* (ita vocat Stellas) *ratas motuum vices complectitur. At verò ætheree divinæq; naturæ* (Cœlum intelligit) *confinis est natura patibilis prorsus & vertibilis, atq; (ut in universum dicam) solubilis & obnoxia. Cujus & ipsius principia obtinet substantia tenuitate particularum prædita, flammulisq; ignita.* Hacten9 ignis descriptio. *Hanc naturam excipit aër, illi substratus. Ab aërea porrò natura Terra protinus & mare situm habent fixum.* Et post aliqua *in ca. 3.*

ca. 3. ait: *quinq; igitur hæc elementa in regionibus totidem* (nimirum quinque) *globosè incubantia mundum ipsum ita totum coagmentârunt, minor ut deinceps atq; minor regio à majore cohibeatur, terra verbi gratia ut ab aquæ globo, aqua ut ab aëris, hic ab ignis, ætheris deniq; globo ignis coërceatur.*

§. 7. Sed inquis 1. ab Aristot. quinque statuuntur corpora simplicia, annumeraturque illis notis & indubiis elementis ignis, de quo tamen nihil Scriptura S. Verùm hoc nihil obstat. Missô verò, quòd aliqui (inter quos est Franc. Vallesius *in Sacr. Phil. p. 24.*) putent, Mosen de igne locutum fuisse, quando dicit; *& Spiritus Domini incubabat aquis:* nos respondemus, nullam esse consequentiam in argumento. A silentio enim Scripturæ S. in illis, quæ non spectant ad nostram salutem, non est argumentum ducendum ad rei nullitatem, ita loquendo, sive rei incompossibilitatem, aliàs Angelos ex creaturarũ numero facilè excludere possemus, quippe quorum nullam mentionem injicit Moses in primis capitibus Geneseos.

§. 8. Silentii verò illius quidam hanc reddunt rationem, quòd Moses se voluerit ad vulgus & captum hominum accommodare, eaq; præcipuè enumerare, quæ oculis objiciuntur, quod quia de Angelis, igne & aëre (cujus etiam nullã expressam mentionẽ fecit Moses) utpote visum nostrum fugientibus, dici non potest, ideò illa intacta relinquere voluit. Videtur autem, Mosen ignem aut nomine terræ comprehendere, aut ejus tùm demonstrationem, tùm explicationem alii loco & tempori reservare voluisse. Intereà nullum est dubium, Scripturam S. sub nomine & numero elementorum, quorum sæpiùs meminit, ignem quoque fuisse complexam, sicuti vel unicè ex *Sapient. c. 19, v. 17. sqq.* videre est, ubi disertis verbis reliquis elementis (prout quidem illa in Natura dantur hodiè) annumeratur.

§. 9. Inquis 2. nondum patere consensum Aristot. cum Scriptura S. sed potiùs dissensum, cum ipsa ignem inferiori adjudicet Mundi regioni, Aristoteles verò superiori. Quia verò Philosophi sententiam exposuimus antec. §. 6. jam Scripturæ audiamus. Ita autem illa l. d. *in se elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur*, &c. *agrestia enim in aquatica convertebantur, & quæcunq; erant natantia, in terram transibant. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur. Flammæ rursus animalium corruptibilium carnes non vexaverunt, (nullâ tabe affecerunt) nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur*, &c.

§. 10. Verùm resp. Scriptura in l. cit. vocem *elementi* laxius (elementatum pro elemento) sumit, seseque ad vulgus accommodat, sicut & per aquam, cujus ibid. fit mentio, non ipsum elementum aquæ intelligitur, sed aqua ad Naturæ hujus statum accommodata. Variæ enim dantur istorum corporum species, quæ tamen nihil minùs quàm elementa sunt, elementa verò supponunt, imò iucludunt, suntq; concreta corpora, neutiquàm simplicia. Sic datur *ignis* diaconicus, quē vocant, sive utensilis; datur ignis lambens, ignis fatuus, &c. datur ignis animalis, ignis subterraneus, &c. Datur *aër* in cavitatibus terræ, in cavitatibus corporum, præcipuè animatorum; aër finitimus sive junctus mari, aër inplantatus auri, qui est medium internum auditus; datur *aqua* pluvialis, fontana, palustris; aqua dulcis, salsa, acida, calida, &c. datur mare nigrum, album, rubrum, mortuum, &c. datur *terra* lutosa sive lutum, terra rubra, nigra, &c. argilla, marga, creta; terra Sigillata, terra Lemnia, &c. Quis verò ista dixerit Elementa?

§. 11. Prætereà per elementa intelliguntur 1. corpora prima & simplicia, 2. ad primam Mundi σύςασιν attinentia, &

σύςημα.

σύςημα Mundi primò integrantia. Sed ille ignis, de quo Liber Sapientiæ loquitur, non eſt tale corpus. Er. ille ignis non eſt ignis elementaris, aut pars illus. Minor probatur 1. Ignis enim ille non eſt ſimplex & immiſtus; non eſt corpus primum, ſed ex primo ortum, corpus miſtum, &c. 2. corpora prima, ad integritatem ſyſtematis Mundani data & ordinata, ſuum certum & à natura præſcriptum obtinent locum, cumque vel primum, vel ultimum, vel intermedium. Sed ignis ille, de quo Liber Sapientiæ, tale corpus non eſt. Er. non eſt elementum ipſum, aut de elemento, ſed ex elemento, tanquam ſuo principio. Alia inpræſentiarum mitto. Plura in altera hujus Tractat. parte.

§. 12. Quis verò ſit ſitus & ordo elementorum ipſorũ, Liber Naturæ (qui Libro Scripturæ nullatenus eſt contrari9) aperit, & in ſpecie quare elementũ ignis hunc locũ in Natura habeat, ut ſit proximum Cœlo, & quamobrem poſt ipſum locatus ſit aër, deinde aqua, & cur infima ſit terra, non difficulter rationem reddet, qui ſapientiam Conditoris attenderit. Nullum enim dubium eſt, quin hujus rei & hujus diſpoſitionis cauſa ſit voluntas & inſtitutio ejus, qui ea ſic condidit, & in ſuis naturis, ſecundùm majorem & minorem nobilitatem, ordinavit. Deus enim infinitâ ſuâ ſapientiâ & bonitate, qua elementa formavit, ſuisque perfectionibus & qualitatibus diſtinxit, cognovit pariter, quis locus unicuique eorum, ſecundùm perfectiorem, aut minùs perfectam naturam, debeatur. Ejusdem ſiquidem eſt, rebus juxta perfectionis ſuæ meritum (ita loquendo) & naturæ congruitatem locum dare, cujus eſt res in eſſentia ſua conſtituere, & perfectionibus ſuis exornare atque abſolvere: quemadmodum Imperator, qui diverſos Statûs Nobilium inſtituit, ſimul etiã loca eisdem, cuilibet ſecundùm dignitatem ſuam, deſignat.

§. 13. Poſſumus autem ex elementotum qualitatibus cognoſcere, quòd illa convenienter & ſapienter ita ſint di-

ſpoſita, quomodo diſpoſita creduntur atque videntur, ſiquidem decet, ut elementum, quod Cœleſti naturæ propinquus, & ſecundùm naturæ nobilitatem divinius eſt, locum quoque ei propinquiorem obtineat, quemadmodum in Aula Regia is, qui dignitate Regi proximus eſt, meretur quoq; proximiorem illi locum accipere. Unde cum ignis elementũ raritate, perſpicuitate, levitate, celeritate &c. cætera elementa omnia excellat, poſt hunc autem ſit aër, deinde aqua; meritò quidem ille locum primum, iſte ſecundum, hæc tertium occupabit. Terra verò, ut penitùs opaca, craſſa, compacta, minimèque transparens, graviſſima & immobilis, à regione Cœleſti quàm longiſſimè diſtat, infimôque locô ſubſidet. Sed hæc in Diſciplina Phyſica (quo de profeſſo ſpectant) uberiùs explicantur.

§. 14. Quia verò inter corpora iſta, duo ſunt celebriora, imò celeberrima, *Cœlum* nimirum & *Terra*; de hiſce diſpiciemus, in potiſſimis doctrinis Ariſtotelis cum Scriptura Sacra conſenſum oſtenſuri. Sint igitur duo hujus Articuli Puncta.

PUNCTUM I.

De Cœlo.

§. 15. Ante omnia (1.) notetur, vocē *Cœli* propriè h. l. accipi, pro primo & ſupremo corpore, ſive pro *firmamento* Cœleſti, quod aſtrorum eſt domicilium; (2.) Cœlum juxta hanc ſuam proprietatem elementis accenſeri. (3.) Juvat hîc ſcire, quòd ſingula corpora prima, & inter ea quoque Cœlum, juxta Ariſtot. poſſint dupliciter conſiderari; 1. abſolutè, uti ſunt partes integrantes Mundi, quo etiam modô eadem conſideravit & tractavit in Libb. de Cœlo; 2. reſpectivè, uti ſunt principia & cauſæ ortus atque interitus rerum in hoc inferiori Mundo; quo pactô *in libb. de or. & inter.* de illis tractavit. Vid. Mercenar. *Dilucidat. p. 255. ſeq.* Zarabarel. *l. 1. de qual. elem. c. 1. col. 481. & in Lib. de Nat. Scien. Conſt. c. 5. col. 13. & c. 1. 21. col. 57.*

§. 16.

§. 16. Notandum verò peculiariter, Aristot. Cœlum tribus modis consideràsse, triplici adeòque nomine de eo tractàsse in Physica sua: 1. uti est semper mobile, & in ordine ad Motorem primum, à quo perpetuò movetur, quo modò *l. 8. Phys.* à Philosopho consideratum fuit. 2. secundùm propriam suam naturam naturalesque proprietates aliaque ejus accidentia, id quod in Libb. de Cœl. factum est, ceu ipse indicat *l. 3. de Cœl. t. 1.* ajens: *de primo quidem elemento*, (Cœlum intelligit) *& quale quid est naturâ ingenitum incorruptibileq; esse, jam satis dictum est.* 3. consideravit Aristot. Cœlum tanquam generationis & interitus in hisce inferioribus causam, *in l. 2. de ort. & inter. c. 10.* ob idque *ibidem t. 14.* de efficiente causa æternitatis generationis & corruptionis posteriùs (nempe *in d. l. 2. de ort. & int.*) se dicturum proponit.

§. 17. Vocatque adeò Cœlum elementum Philosophus duplici potissimùm de causa; 1. quia ad Universi constitutionem tanquam pars integrans; & quidem prima atque primaria concurrit, stellarum domicilium (sicut aër volatilium, aqua natatilium, terra terræ nascentium & animantium terrestrium est habitaculum) existens. 2. quia cum elementis ad ortum & interitum rerum in inferiori Mundo concurrit, his quidem materiam ortui & interitui præbentibus, Cœlô verò utriusque causâ effectrice existente.

§. 18. Quia verò non unum est, quòd de Cœlo tùm ex Scripturis, tùm ex Aristot. docendum & ostendendum venit, ideò, more hactenus observatô, rem distinctis Theorematibus includemus.

I. Cœlum (scilic. in propriissimâ vocis acceptione) esse unum, tàm Aristot. quàm SS. Literæ docent.

§. 19. Scriptura S. non nisi unum novit & docet Cœlum,

lum, ceu tanquàm certum hîc ſupponimus. Nec obſtat, quòd ſæpiùs multorum Cœlorum injiciat mentionem, ùt quando ait, *Cœlos Cœlorum non capere Deum*, *2. Paralip. 2. v. 5. & 6.* item *1. Reg. 8, v. 27.* item, quando *Deus* dicitur, *eſſe in Cœlis*, *Matth. 6, v. 9.* &c. Hoc, inquam, non obſtat. Etenim vox *Cœli* nunc propriè ſumitur in Sacris, nunc impropriè. Dictum autem in Theoremate, vocem Cœli inpræſentiarum propriè accipi, ſcil. pro Cælo ſidereo.

§. 20. Pro hujus itaque & ſequentium Theorematum intellectu not. (*1.*) *Cœlum* Ebræis dici שָׁמַיִם, non ideò, quòd ibi ſint aquæ, uti cum multis Flacius *in Clave in voc. Cœl. mihi col. 35.* docet, ſed à radice, quæ apud Arabes etiamnum uſitata à Linguæ illius peritis perhibetur, & notat *altum* ſeu *elevatum* eſſe. Not. (*2.*) Quemadmodum hoc nomen tâm de aërea, quàm ætherea regione in Sacris uſurpari ſolet, ita *Cœli cœlorum*, ex uſu Ebraicæ Linguæ, quæ ſuperlativum non habet, notat altiſſimum Cœlum, h. e. firmamentum ſidereum. Vid. Glaſs. *l. 3. Philoſ. Sacr. Can. 16. pag. 56. (edit. ult. p. 416.)* Not. (*3.*) quòd ſæpiſſimè tàm in V. quam in N. Teſtamento pluralis numeris pro ſingulari ponatur, ad rei magnitudinem, excellentiam & eminentiam denotandam. Sic οἱ ȣ̓ρανοὶ, pro ȣ̓ρανῷ. Et indifferenter ſingularis atque pluralis hîc uſurpantur. Sic Marci *12, v. 25.* dicitur, ſunt ſicut Angeli ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς, *in Cœlis*: pro quo *Matth. 22, v. 30.* ἐν ȣ̓ρανῷ ponitur. Sic *Matth. 6, v. 9.* pater noſter, ὁ ἐν τοῖς ȣ̓ρανοῖς, *qui es in Cœlis*. In *ſeq.* verò *v. 10.* dicitur, fiat voluntas tua *ſicut in Cœlo*, (ἐν ȣ̓ρανῷ) ſimiliter *Luc. 11, v. 2.* Conferantur duo loci, *Matth. 16, v. 19. & ca. 18, v. 18.* Videatur de hac re Glaſs. *Phil. Sacr. l. 3. Can. 26. p. 92. ſq. (edit. ult. p. 442. ſq.)* Atque ſic ex Philologia Sacra hæc dijudicanda veniunt.

§ 21. Ariſtoteles quoque non niſi unum ſtatuit Cœlum, *lib. 1. de Cœl. c. 8. t. 90.* ubi ait: δῆλον δὲ κἂν ὧδε γένοιτο, σκο-

πȣμέ-

πτυμένοις, ὅτι ἀνάγκη εἶναι ἕνα τὸν οὐρανὸν, *Cœlum necessariò unum esse*. Et *ca. seq. 9. t. 98.* ὥστε οὔτε νῦν εἰσὶ πλείους οὐρανοὶ, οὔτ' ἐγένοντο, οὔτ' ἐνδέχεσθαι γένεσθαι πλείους· ἀλλ' εἷς καὶ μόνος καὶ τέλειος οὗτος οὐρανός ἐστιν. h. c. *quare neq; nunc plures sunt cæli, neq; fuêre, neq; etiam esse possunt; sed unicum est hoc Cælum atq; perfectum.*

II. Cœlum est primum inter corpora simplicia.

§. 22. Hoc tàm in Scriptura S. quàm apud Arist. in confesso est. Modò quòd Theorema explicatione indiget. Potest enim aliquid *primùm* dici modô non unô. Primò, quatuor sunt modi *primitatis* sive *prioritatis*. 1 dicitur aliquid primum *tempore sive duratione*, 2. primum sive prius *naturâ*, 3. primum *ratione ordinis & loci*, 4. primum *ratione dignitatis sive præstantiæ*. Cœlum omnibus istis primitatis sive prioritatis modis gaudere, tàm ex Aristot. quàm ex Scripturis SS. liquidum faciemus, distinctisque propositionibus expediemus.

§. 23. Deinde, *primum* dicitur dupliciter: 1. *negativè*, id nimirum, quo prius non datur, quomodo Deus e. g. est diciturque ens primum, item substantia prima. 2. *respectivè*, sive respectu aliorum, juxta aut post se positorum, quomodo e. g. Deus dicitur prima causa, post se alias causas habens. Utroque modô Cœlum primum corpus appellari gaudet; se enim prius corpus nullum habet, post se autem alia habet corpora prima, quæ non sunt simpliciter prima, quomodo ipsum est Cœlum, sed sui generis & modi, respectu nimirum mixtorum, quæ ex illis oriuntur.

III. Cœlum naturâ est prius aliis corporibus primis atq; simplicibus.

§. 24. Scriptura S. quamvis id non expressè tradat, tradit tamen alia, in quibus id delitescit, exindeque deduci potest. Primò quidem de ipso Cœli firmamento dicitur *in*

Esther ca. 13, v. 10. quòd Cœlum omnia ambiat & contineat. *Tu fecisti Cœlum & terram, & quidquid Cœli ambitu continetur.* Omne verò quod ambit & continet aliud, quat. quidem ambit & continet, est prius eo, quod ambitur & continetur, si non tempore, tamen naturâ.

§. 25. Deinde, de stellis docet Scriptura, Deum *duo luminaria magna atq; stellas posuisse in firmamento Cœli, quæ sint in signa & tempora, dies & annos; quæ luceant & illuminent terram; quæ præsint diei & nocti, dividantq; lucem & tenebras.* At verò quod tale est, prius est aliis, illis, puta, quæ illuminat, quat. quidem illuminat, & quibus datum est signum, &c. Prius, inquam, est, si non tempore, tamen naturâ. Signum enim naturâ prius est signatô, illuminans illuminatô, &c.

§. 26. Hæc quanta quanta sunt, Aristotelica sunt, ceu tùm ex libb. de Cœlo, tùm ex lib. de Mundo videre est. Præterea docet Aristot. Cœlum atque Cœlestia esse causas essendi & benè essendi hisce inferioribus, inferiora autem hæc nihil conferre ad esse aut benè esse Cœlestium. Porrò docet, Cœlum ambire & continere omnia simplicia corpora, ipsum verò à nullo contineri, *d. l. de Mun. c. 2. & 3.* Porrò tradit, Cœli motûs tanquam perfectos, continere alios tanquàm imperfectos, *l. 2. Cœl. c. 1. t. 2.* Omne autem continens naturâ est priùs contentô, omnisque causa naturâ est prior eo, cujus est causa. Cœlum igitur, juxta Aristot. prius naturâ est aliis corporibus.

IV. Cœlum ordine & locô primum & supremum est inter omnia corpora simplicia.

§. 27. Hoc quamvis ex antè dictis constare poterat, tamen, occasione hujus doctrinæ, repetendum hîc venit. Scriptura S. quoties altitudinem Cœli commendat, (commendat autem summam) toties Cœlum summô locô esse positum

tum inculcat, ut *Psal. 102, v. 11. Ecclesiastic. 1, v. 2.* & *cap. 43, v. 1.* Nec ulli alii corpori, præterquam Cœlo, summam altitudinem tribuit Scriptura. Argumentamur: quodcunque corpus est altissimum, vel, in altissimo loco positum, illud omnium corporum est primum & supremum. Sed Cœlum est corpus altissimum, sive in altissimo locô positum. Er. &c. Deinde, idem ex eo probatur, quòd Scriptura Cœlum constituit sedem Dei, *Psal. 10, v. 4. Psal. 102, v. 10. Esaiæ 66, v. 1.* Hinc dicitur habitare in altis, *Psal. 112, v. 5.* habitare in Cœlis, *Psal. 2. v. 4.* Inde fluit *συλλογίζων λόγος*: Quodcunque corpus à Scriptura Sacra designatur & constituitur sedes atque habitaculum Dei, illud procul omni dubio omnium primum & supremum est. Sed Cœlum (firmamentum Cœli) à Scriptura S. designatur & constituitur sedes atque habitaculum Dei. Er. &c.

§. 28. Apud Aristot. quoque res liquida est & certa, tàm in libb. de Cœlo, quàm in l. de Mund. consentienter proposita. Nunc (1.) ait, Cœlum esse celsissimum (*ἀνώτατον*) vel celsissimo in loco positum, *l. de Mun. c. 2.* Nunc (2.) extra Cœlum neque corpus, neque locum, neque tempus esse, *l. 1. de Cœl. c. 9. t. 99. & 100.* Hinc: extra quod corpus (à parte suprà) nullum aliud corpus est, illud corpus est omnium primum & supremum. Sed extra Cœlum (à parte suprà) nullum aliud corpus est. Er. Cœlum est primum & supremum omnium corporum. Accedit (3.) quòd Cœlum sedes & habitaculum Dei ab Aristot. statuitur, id quod sæpissimè, plurimisque in locis, præcipuè *in lib. de Mun.* repetit. Ut hac in parte Scripturis S. S. quam consentientissima tradiderit, idemque argumentum, quod §. antec. positum, nobis suppeditaverit Philosophus.

V. Extra & supra Cœlum non est aliud corpus.

§. 29. Nec enim tale ordo Naturæ, nec Naturæ Inter-

pretum (inter quos præcipuus est Aristoteles) placita admittunt. Stat Philosophi nostri sententia: *extra Cœlum non est corpus*, quod *l. 1. Cæl. ca. 7. t. 69. & ca. 9. t. 99. & 100.* iteratò legitur. Imò nec Scriptura S. vel ponit, vel admittit aliquod supra Cœlum corpus. Quod enim corpus Scriptura S. docet *(1.)* esse altissimum, *(2.)* esse sedem & habitaculum Dei, extra & supra illud Scriptura S. nullum admittit aliud corpus superius. Sed Cœlum esse altissimum corpus, ita etiam, ut Deus sedem & habitaculum suum in illo constituerit, Scriptura S. docet. Er. &c. Nullas ergo aquas supra Cœlum posuit Naturæ institutor, Deus; id quod peculiariter jam probamus.

§ 30. Porrò: Ordo Naturæ postulat, ut graviora corpora inferiori, leviora verò corpora superiori sint constituta locô; quod autem neq; grave, neque leve est, cujusmodi est firmamentum cœleste, *l. 1. Cæl. t. 18.* & *l. 2. Cæl. t. 89.* omninm supremum teneat locum, omniaque reliqua (utpote inferiora) ambiat & contineat. Et hunc ordinem, tàm Sacra Historia *(in Genes. cap. 1.)* quàm Aristot. *(in lib. de Mund. c. 2. & 3.)* describunt, ceu suprà exposuimus. Hinc: Quidquid est contra institutum à Deo ordinem tàm in Scripturæ, quàm in Naturæ libro expressum, id (tanquàm inconveniens) rebus non est tribuendum. Sed corpus grave existere supra corpora levia, imò supra firmamentum cœleste, est contra institutum â Deo Naturæ ordinem. Er. id (tanquam inconveniens) corpori gravi (cujusmodi est aqua) non est tribuendum.

§. 31. Denique, quâ fini, & cui bono supra firmamentum æthereum aquæ? Nullo, planè nullo. *Deus autem & Natura nihil faciunt frustrà, l. 1. Cæl. c. 4. t. 32. Frustrà autem dicimus esse, cujus usus non est, ibid.* Sed null9 est usus aquarum super firmamentū positarum, (ex hypothesi) id quod tàm diu verum est,

donec

donec usq; aliquis monstretur. Nullus autem potest monstrari. Imò eorum, quæ sunt in Mundo, semper unum est gratiâ alterius, ceu pulchrè exponitur in *libro 4. Esdræ ca. 6.* ubi ita concluditur: *propter nos* (scil. homines) *creâsti seculum.* Sed aquæ supra firmamentum (ex hypothesi) nullius sunt gratiâ. Er. quoque ipsæ nullæ sunt. Sed hac de re plura in altera Tractat. parte.

VI. Cœlum est præstantissimum & nobilissimum corporum primorum sive simplicium.

§. 32. Theorema hoc tùm in Scriptura S. fundatur, tùm in Aristotele. Et illa, & hic tradunt, Cœlum esse sedem & habitaculum Dei, ceu ex iteratò dictis patet. Nulli verò alii, præter Cœlum, corpori, id tributum, ullibi legimus. Annon verò id præstantissimum & nobilissimum inter omnia corpora prima, sive primò mundum integrantia, quod Deus sedem suam, suumq́ue habitaculum constituit? Prætereà ex aliis Cœli elogiis, quæ tùm in Scriptura Sacra, tùm in Arist. habemus, nobilitas hujusce corporis patescit.

§. 33. Præcipuè pulcherrima apud Aristot. hac de re extant dicta. *In l. 1. de Cœl. ca. 2. t. 16. ex his igitur patet, aliam quandam* (in ratione rerum) *corporis substantiam esse, præter eas corporum constitutiones, quæ hic sunt,* θειοτέρα καὶ προτέρα τούτων πάντων, h. e. *diviniorem atq́; priorem his universis.* Porrò *in l. 2. de Cœl. c. 3. t. 17.* σῶμα θεῖον, *corpus divinum, in l. 1. part. animal. c. 1. partem* (Mundi) *æternam, nobilem & divinam vocat.* Conf. *l. 1. gen. animal. c. 1. init.*

VII. Cœlum est prius tempore aliis corporibus.

§. 34. Clarissimè hoc extat in *Genes. cap. 1.* Non solùm enim in initio capitis, Cœli creatio præponitur creationi Terræ: *in principio creavit Deus Cœlum & terram:* verùm quoque in seqq. versiculis distinctim id proponitur. Cœli

creatio describitur *vers. 6.* quòd facta sit, secundo die, terræ verò die tertiô, *seq. ver. 9. & 13.*

§.35. Hoc dogma quamvis in Aristot. expresse & distinctè non habeatur, nullum tamen videtur esse dubium, quin is, Cœlo, quod quàm sæpissimè corpus primum vocitat, (*l. 1. Cœl. t. 13. 22. & 35.*) omnes primitatis modos gradûsque tribuerit, aut tributos voluerit. Colligere hoc est ex eo, quòd de hoc negotio, & de systemate Mundi loquens, Cœlum æquè, ac Scriptura Sacra, primô ponit locô. Sic in *l. de Mund. ca. 2. initio : Mundus est compages è Cœlo Terraque coagmentata :* & *seq. c. 5. universorum coagmentationem, Cœli, inquam, & Terræ, & universi Mundi* &c. Ut sic ad ordinem collocationis pariter & ordinem productionis procul dubio respexerit Philosophus.

VIII. Cœlum est rotundum.

§.36. Cœlum esse rotundæ figuræ, de professo docet Aristot. *l. 2. de Cœl. c. 4. t. 22.* ajens, *figuram illam substantiæ Cœli esse accommodatissimam, & tanquam naturâ primam* (τῇ φύσει πρῶτον σχῆμα) *primo deberi corpori.* Imô in *tex. 26.* infert, ipsum universum rotundum esse, siquidem omnia tangunt hærentque sphæris. Et hanc doctrinam tot. *c. 4.* pertexit.

§.37. Scriptura S. idem de Cœlo docet. In *Ecclesiastic. ca. 24. v. 8.* inquit Sapientia : γῦρον οὐρανοῦ ἐκύκλωσα, h. e. *gyrum Cœli circumivi.* Et seq. *ca. 43, v. 13.* dicitur : ἐγύρωσεν οὐρανὸν ἐν κυκλώσει δόξης, χεῖρες ὑψίστου ἐτάνυσαν αὐτόν; *gyravit Cœlum in circuitione gloriæ ; manus altissimi extenderunt illud.* Et hoc idem proculdubio significatur *in lib. Esther ca. 13, v. 10.* ubi *Cœlum omnia ambire & continere* dicitur.

IX. Cœlum est domicilium stellarum.

§.38. In firmamento Cœli collocatas esse stellas, docet Genesis *ca. 1. Fiant luminaria in firmamento Cœli, ver. 14.* & *fecit Deus luminaria magna, & stellas, & posuit eas in firmamen*

to, ut lucerent super terram, ver. 17. &c. inde vocantur *Stellæ Cœli, Deuter. 1, v. 10. Daniel. 3, v. 63. Marci 13. v. 25.*

§. 39. Nec, quantum ad hoc, aliter docuit Ariſtoteles, qui aliàs de Cœlo & Stellis poſt ſe reliquit ſententias, quæ non acceptantur à cunctis. In *Lib. 2. de Cœl. c. 7. t. 41.* ſtatuit, *unamquamq; ſtellarum ex eo eſſe corpore, in quo lationem habet.* Ubi, miſsô priore, poſterius aſſumimus, ubi *Stellas habere lationem* (h. e. moveri & ferri) *in Cœlo*, ait, quod pluribus ibid. deducit. Quis autem non videt jam, ſtellas in eo ipſo eſſe corpore, in quo moventur? Moventur verò in Cœlo. Er. ſunt quoque in Cœlo. Taceo, quòd Ariſtot. Stellas partes facit Cœli, ut etiam pro definitione venditata fuerit hæc propoſitio: *Stella eſt denſior pars ſui Orbis.* Omnis verò pars eſt in eo, cujus eſt pars.

X. Stellæ ſunt rotundæ, & in gyrum moventur.

§. 40. Stellas & rotundas eſſe, & in gyrum ſeu circulum ferri, docuit Ariſtoteles, illud *l. 2. Cœl. ca. 11.* hoc *in antec. cap. 8. t. 43.* utrumque de profeſſo. Gyrum quoque ſtellarum allegat *Lib. Sapientiæ cap. 13, v. 2.* Illuſtris quoque eſt locus *Eccleſ. ca. 1. v. 5. & 6.* ubi de *Sole* dicitur, quòd *vadat ad Auſtrum, & circumeat per aquilonem,* &c. Conf. Valleſ. *Phil. Sacr. ca. 62.*

XI. Cœlum (luminaria Cœli) eſt cauſa & parens rerum in inferiori Mundi parte.

§. 41. Primò, quòd motus Cœleſtium ſit generationum cauſa, docet & oſtendit Ariſtor. *l. 2. de Ort. inter. ca. 10.* φαμὲν δὲ αἰτίαν εἶναι τὴν φορὰν τοῦ γίνεσθαι, *lationem generationis cauſam eſſe dicimus.* Leg. tot. caput, & confer. Interpretes. Deinde, Sol & Luna dant tempora anni, ut hyemem, æſtatem &c. rerum item vices tempeſtatesq; à ſideribus proveniunt, pluribus docente Ariſtot. *l. de Mund. ca. 5. & 6.* Tertiò, ut uno

effatô

effatô omnia comprehendam, corpora cœlestia motu, lumine & calore influunt in hæc inferiora, *ex d. l. 2. de or. int. ca. 10. & lib. 2. de Cœl. ca. 7.* nimirum, dum moventur ipsa, movent, & movendo fovent hæc inferiora cuncta, illisque causa & ortus & vigoris existunt. Ut etiam inde factum sit, quòd *Cœlum & Solem, & reliqua generis ejusdem, nomine genitoris patrisq; appellitent*, illi scilicet, qui naturam scrutantur, referente Aristot. *l. 1. gener. anim. ca. 2.* Ita quoque Scaliger *Exer. 75. s. 9. p. m. 276.* Cui denique accedit, quòd Aristot. tradit, *Solem & hominem generare hominem, l. 2. Phys. c. 3. t. 26.* & *in lib. 2. de gener. animal. c. 3.* calorem solis & calorem animalem conjungit, ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης καὶ ἡ τῶν ζώων h. e. *solis calor, & animalium* generant, sive generationis causa existunt. Ut sic constet ex Aristot. quòd is Cœlum, & in eo maximè Solem pro genitore rerum in hoc Universo agnoverit & statuerit.

§. 42. Idem Sacræ docent Literæ, atq; id vel dicunt expressè, vel nobis elargiuntur per consequentiam. Primò quidem, Scriptura S. terram declarat matrem & genetricem rerum, maximè terræ nascentium, ut posteà exponemus uberiûs. Matri ergo huic in Natura respondebit parens aliquis sive genitor; quem è Scriptura nullum alium vel nominaveris, vel monstraveris, præterquàm Cœlum, & in eo vel maximè Solem. Deinde, illud colligere est ex Luminarium officio, quod ipsis in Sacra Genesi assignatur, nimirûm, quòd *posita sunt in signa, in stata tempora, in dies & annos, Genes. 1, v. 14.* In distincta tempora, quæ sunt ver, æstas, autumnus, hyems; *ut cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems non sint cessatura, Genes. ca. 8, v. ult.* Annon verò quæ firmamenti luminaria sunt causæ distinctorum temporum, causæ quoque sunt diversorum terræ nascentium? annon quædam anni tempora rerum ortui,

quæ-

quædam earum interitui dicata? annon vere & æstate florent & fructificant terræ nascentia, contrà verò hyeme omnia frigent & prostrata jacent?

§. 43. Sed audiamus hac de re ipsam Scripturam. Ita illa in *Deuter. 33, v. 14.* ibi ait Moses ad Josephum: *benedicta à Domino terra ejus; de delicia (delicatis fructibus) cœlorum, de rore & de voragine* (seu, *abysso*) *cubante deorsum; & de delicia proventuum (de delicatis fructibus) Solis, & de delicia ejectionis lunarum,* (sive, *de optimis donis mensium.*) Id est; propter fructûs optimos, qui provenire solent beneficiô caloris Solis & ob fructus delicatissimos, quorum maturitatem juvat Luna, quæ singulis mensibus oritur. Nam Luna humectat noctu fructûs, qui die à Sole torrentur.

§. 44. Sponte prodit inde hic *συλλογίζων λόγος*: Cuicunq; corpori Scriptura S. tribuit terræ nascentia eorumque fructûs, tanquam effectus, id ipsum Scriptura designat & constituit causam atque parentem istorum omnium. Sed Scriptura S. Cœlo, & primis atque præcipuis Luminaribus, Soli & Lunæ, tribuit terræ nascentia eorumque fructûs, tanquam effectus. Er. Scriptura S. Cœlum, & in eo Solem atq; Lunam designat atque constituit causam & parentem istorum omnium. Vel, formetur syllogismus h. m. A quocunque proveniunt Terræ nascentia eorumque fructus, id est causa & parens eorum. Sed à Cœlo & Cœlestibus Luminaribus proveniunt terræ nascentia eorumque fructus. Er. Cœlum & Cœlestia Luminaria sunt causa atque parens istorum. Quid, quæso, clarius, quid pulchrius isto Scripturæ S. elogiô?

XII. Cœlum & Cœlestia Corpora sunt incorruptibilia & perpetua.

§. 45. Aristotelis hoc est dogma, frequentissimè ab ipso repetitum. In *lib. 1. de Cœl. ca. 3. t. 20.* scribit: ὁμοίως εὔλογον ὑπολαβεῖν περὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι ἀγέννητον, καὶ ἄφθαρτον, καὶ ἀναυξὲς,

καὶ ἀναλλοίωτον, h. e. *simili modò rationi consentaneum est, & ingenerabile atq; incorruptibile ipsum (Cœlum) esse existimare, neq; incrementa decrementaq; suscipere, neq; alterationibus subjici posse.* Additq; rationẽ, ἀγεννησίας quidem, *quòd omne quod generatur, ex contrario & ex subjecto fit quodam;* ἀφθαρσίας verò, *quòd id, quod corrumpitur, subjectâ materiâ, & à contrario, & in contrarium corrumpitur;* quod in Cœlo nõ habere locum docet. Et *in seq. t. 22.* provocat ad sensum, & ad commune omnium hominum testimonium, ajens: *In toto namq; præteritô tempore per traditam successione memoriã in posteris, non mutatum* (scilic. Cœlum) *ullo pactô fuisse videtur, aut in toto ultimo Cœlo, aut in suarum partium ulla.* Idem proponit *seq. text. 100.*

§. 46. Propterea ἀΐδιον seu *perpetuum* esse tradit Cœlum, *d. t. 22.* Additque rationem; *Omnes enim homines supremum locum Diis attribuerunt, propterea quòd immortale ad immortale sit accommodatum.* Immortali enim Enti incorruptibile quoque corpus, in quo sedem suam habeat, tribuendum. Similiter alibi, *in l. 1. de par. an. c. 5.* statim in init. & *l. 1. Cœl. t. 13. & 16.* & *l. 2. de Cœl. t. 2. & 12.* item *l. 2. de gener. anim. c. 5.* Cœlum vocat *Mundi partem æternam*, & proinde *nobilem atq; divinam, diviniorem elementis*, &c. Et hoc denique probatur ex eo, quòd motum Cœli æternum statuit, *l. 8. Phys. t. 76. & 77. lib. 12. Metaph. c. 6. & 7. t. 29. & 34.* Igitur & ipsum Cœlum voluit esse æternum, siquidem motus extra suum subjectum nec esse, nec cogitari potest.

§. 47. Sed nec diversum ab Aristotele ipsa Scriptura S. docet. Etenim primò consideremus Cœlestium institutionem. *Deus dedit luminaria in signa, tempora, dies, & annos,* &c. *Genes. ca. 1, v. 14. sq.* Quàm diu ergo durant tempora mundi, tàm diu durant Cœlum & Cœli sidera. Sit argumentum: quarum rerum munus est perpetuum, illæ ipsæ quoque res perpetuæ sive perennes sunt. Sed Luminarium Cœle-

stium

stium munus est perpetuum. Er. ipsa quoque Luminaria sunt perpetua. Major constat de se; Minor patet ex *Genes. cap. d.* & *ca. 8, v. ul. cunctis diebus terræ non cessabunt æstas & hyems, sementis & messis*, &c. Ista autem omnia muneri Cœlestium adscribenda veniunt. Hinc: si cunctis diebus terræ non desinit aut deficit efficacia Luminarium Cœlestium; igitur cunctis quoq; diebus terræ non desinent aut deficient ipsa Cœli Luminaria. Perpetua igitur illa sunt & immutabilia in Natura.

§. 48. Deinde, accerso illud *Eccles. 3, v. 14. Omne quod fecit Deus*, h. e. *omne opus Dei* לְעוֹלָם, *in perpetuum.* Sed subsumamus: Atqui Luminaria Cœli sunt opus Dei; Er. Luminaria Cœli sunt perpetua. Imò *ipsam Terram Deus præparavit in æternum tempus, εἰς αἰῶνα χρόνον, Baruch. c. 3. v. 32.* Ergo multò magis Cœlum, tanquam nobilius & divinius corpus, quod terræ cunctisque terrenis præest; quod dat tempora, dies & annos, &c.

§. 49. Addimus denique *Psal. 98, v. 29. & 30.* ubi sic Divinus Vates de Regno Christi: *In æternum* לְעוֹלָם *ei custodiam misericordiam meam, & ponam in perpetuum* לָעַד *semen ejus, & thronum ejus sicut dies Cœlorum.* Quibus verbis S. Vates confert perpetuitatem Regni Christi cum perpetuitate Cœli, dicens thronum Christi in hac vita duraturum cum Cœlo in perpetuum, ad novissimum usque diem &c. Cœlum igitur, de sententia Scripturæ S. erit perpetuum, id quod doctrinæ Aristotelicæ est consentientissimum.

PUNCTUM II.

De Terra.

I. Terra est infimum corpus.

§. 50. *Cœlum in sublimi est, Terra in profundo*, dicitur *Prov. 35, v. 2.* ut etiam Deus *Cœlum solium suum* constituerit, *terram* verò *scabellum pedum suorum, Esai. 66, v. 1. Matth. 5, v. 35.*

35. Quibus verbis, Cœlum eſſe ſupremum, Terram verò imum corpus, ſatis clarè ſignificatur. Hiſce conſentientia tradit docetque Ariſtot. tùm in *l. 2. de Cœl. ca. 14. tot.* tùm in *lib. de Mund. c. 6* ubi pulchrè ait: διὸ γῆ τε καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ἔοικεν ἐν ἀποστάσει πλείστῃ τῆς ἐκ θεοῦ ὄντα ὠφελείας. h. e. *quò fit, ut & terra & terrena quàm longiſſimè à Divinitatis adminiculatione abſcedant*, quia nimirum longiſſimè à Cœlo, quod ſedem Dei eſſe docuerat, abſunt.

§. 51. Hujus verò rei cauſam, aliam quidem liber Scripturæ, aliam liber Naturæ exponit. Ille quidem omnia ad Dei voluntatem, & ad Dei verbum refert. Dicendo enim & jubendo Deus fecit, quidquid fecit. *Dixit Deus, congregentur aquæ, quæ ſub Cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida: Et factum eſt ita. Vocavit autem Deus aridam Terram.* Sicut igitur ſuam exiſtentiam Terra habet à Verbo Dei, ita & exiſtentiam in hoc ſuo loco, in quo Deus ipſam conſtituit. Liber verò Naturæ ait, omnia gravia ad medium, ſive ad centrum Mundi tendere; & quò quid gravius eſt altero, hoc centro vult eſſe propinquius, adeoque altero inferius. Terra igitur infimum corpus eſſe oportet, intellige, inter omnia prima, Elementa dicta. De quo vid. Ariſt. *d. l. 2. de Cœl. ca. 14.*

II. Terra eſt corpus rotundum.

§. 52. Apud Ariſtot. hæc res certa eſt, & de profeſſo tractatur *d. l. 2. de Cœl. c. ult.* ubi & pronunciat, & demonſtrat, *neceſſum eſſe, ut terra rotunda ſit, t. 104. ſeq.* In Sacris quoque Scripturis hæc doctrina continetur, tùm κατὰ διάνοιαν; Si enim Cœlum eſt rotundum, id quod Scriptura S. tradit; Er. & terra; tùm κατὰ ῥῆμα, *in Eſaiæ ca. 40, v. 22. ſedens ſuper globum terræ*, עַל־חוּג הָאָרֶץ. *Jerem. 51, v. 1. firmans orbem (terrarum) in ſapientia ſua.* Alia Scripturæ loca mitto. *Globus* autem & *Orbis* terræ, ſi propriè accipiantur, ſicut fit locis allegatis, non niſi rotunditatem ejus denotant.

III. Terra est immobilis.

§. 53. Hoc Terræ attributum & in Scriptura S. & apud Aristot. est decantatissimum. E plurimis verò Scripturæ S. testimoniis paucissima afferemus. Primò huc facit, quòd Deus dicitur *fundâsse & firmâsse terram, Job. 38, v. 4. Psal. 102, v. 26. Prover. ca. 3, v. 19.* Et in *Psal. 75, v. 3.* inquit Dominus: *ego firmavi (æquilibriô direxi* תִּכַּנְתִּי*) columnas terræ,* h. e. sic eam stabilivi, ac si columnis subjectis ipsam fecissem immobilem. His deinde accedunt dicta, immobilitatem terræ expressè docentia; *Psal. 93, v. 2. firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. Psal. 104, v. 5. qui fundâsti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi. Eccles. ca. 1, v. 4.* dicitur *terra stare in æternum;* intellige æternum Physicum, sive tale, quale Naturæ institutio admittit, sive, qualem perpetuitatem Deus Naturæ concessit.

§. 54. Idem Aristot. docuit. Terram in medio Mundi positam *(l. 2. Cœl. t. 72. 98. & 101.)* immotam stare asserit locô non uno, præcipuè *in l. 2. de Cœl. c. 14. tot.* ubi *t. 101.* sic concludit: *patet igitur, necessariò terram in medio, atq; immobilem esse, ob eas, quas diximus, causas.* Et *in antec. c. 3, t. 21.* ait, *terram esse constitutam propterea, quòd semper aliquid maneat consistatq;, si aliquid semper moveri oporteat;* ὅτι ἀνάγκη μένειν τι ἀεὶ, εἴπερ κινεῖσθαί τι ἀεὶ δεῖ. Conf. *lib. de Mun. ca. 2. & 3.* ubi iteratis vicibus hoc dogma proponitur.

§. 55. Causis verò, quas Aristot. exponit, (sunt verò illæ physicæ) non immeritò illam quoque, quam liber Scripturæ nobis aperit, quæque Aristoteli ignota fuit, adjungimus, quòd ipsa scilic. à verbô & jussione Dei suam habeat stabilitem. Quemadmodum enim undarum in unum collectio in Scripturis soli Deo, & Omnipotenti ejus Verbo adscribitur, ita etiam ista terræ confirmatio & stabilitio Omnipotenti Ejus Verbo adscribenda venit, ceu primum Genes. caput satis clarè testatur.

IV. Terra, ceu mater fæcunda, cunctis terræ nascentibus atq; animantibus, subservit.

§. 56. Pulchrè hoc docuit Aristot. *l. 1. gen. anim. c. 2.* ita tradens: *quam ob rem in Universo quoq; naturam terræ quasi fœminam, matremq; statuunt, Cœlum autem & Solem, & reliqua generis ejusdem, nomine genitoris patrisq; appellant.* Cui accedit *l. de Mund. c. 2. post init. situm medium immotum & stabilem terra fæcunditate prædita* (φερέσβιος) *sortita est, animantium omnifariam distinctarum sedes &* (μήτηρ) *mater.* Jure sanè meritô. Non quidem solorum animantium, verùm cunctorum terræ nascentium (ut de metallis & mediis muneralibus nihil dicamus) intuitu hanc appellationem meretur. Id quod Philosophus insuper monstravit *d. l. de Mund. ca. 6. fin. in omnes,* ajens, *ipse* (Naturæ Author) *naturas partitus pro universitate seminum, in ea, quæ hærent solo, atq; in animantia. Nam & vites fiunt & palmæ, & perseæ, ficiq; dulces, & olivæ. Tùm quæ fructus expertes, alios usûs præstant, platani, pinus, buxi, almi, populus etiam nigra, & cupressus odorata; tùm quæ autumni tempore fructũ suavem fundunt, sed conditu difficilem, pyri, punicæ, mali;* quorũ omniũ terra mater est atq; genitrix.

§. 57. Idem hoc Scriptura S. docet. Primò quidem & præcipuè *in Genes. c. 1.* ubi Deus jubet *terram progerminare herbam virentem, & lignum pomiferum,* &c. *v. 11. & protulit terra herbam virentem, lignumq; faciens fructum, & habens semen in semetipso secundùm speciem suam, ver. 12.* Hoc idem docent promissiones divinæ, ut *Levit. 26, v. 4. dabo vobis pluvias temporibus suis, & terra gignet germen suum,* &c. Similia leg. *Deut. c. 8, v. 8. & cap. 28, v. 4. sq.* Denique idem confirmant desumtæ inde similitudines Sacræ, velut illa *Esai. 55, v. 10. quomodo descendit imber & nix de Cœlo, & illuc non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti;* &c. Add. *Marci cap. 4, v. 28. ultrò terra fructificat, primò herbam, deinde spicam, posteà plenum frumentum in spica,* &c.

§. 58. Et ex hiſce tùm ornatus, tùm uſus terræ eſt conſpicuus. Primò quidem, quòd è terra progerminant omnis generis plantæ; herbæ, frutices, arbores, in uſum animantium, ipſiusque deniq́ue hominis. Secundus terræ ornatus eſt, quòd in ipſam collocata ſunt (& adhuc hodiè collocantur) omnis generis animantia, de quibus mirabilia enarrantur in *Jobi c.39.* Tertius ornatus terræ, & quidem præcipuus eſt, quòd in eam homines collocant', tanquam totius Mundi Oeconomi, & terræ cultores, ceu *in Geneſ. c.1, v.26.* ſcriptum extat; *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ut præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & beſtiis, univerſæq́; terræ, omniq́; reptili, quod movetur in terra.* Conf. *Eſa. 45, v. 12.* Quibus conſentientisſima ſunt illa, quæ hac de re tradidit Philoſophus *d. l. de Mu. c. 6.* Suprà in medium citata.

V. Terra & terrena mutabilia ſunt & caduca.

§. 59. Mutabilis eſt terra, non quidem ſecundùm locum, ceu antec. Theor. 3. conſtitit, ſed ſecundùm qualitates, & aliquam ſubſtantiæ partem, ſiquidem ex ea variorum generum miſta progenerantur, & in eandem corrumpuntur. In prima rerum molitione plantæ & animantia ex ea producebantur, ipſeque primus homo ex ea formabatur, ceu ex hiſtoria Geneſeos notum eſt. Hinc, poſtquam à Deo defecerat, & lapſus erat, homo audire cogebatur: *reverteris in terram, de qua ſumtus es; pulvis es, & in pulverem reverteris.* Id quod repetitur in *Eccleſ. ca.12, v.7.* Illuſtris quoque eſt locus *in Eccleſ. c.3, v.19. ſqq. Unus* (quantum ad hoc) *eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusq́; conditio; ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Et omnia pergunt ad unum locum; de terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur.* Verbô: quorum, quantum ad hoc, par conditio, eorum idem interitus.

§. 60. Sed adeamus quoque & audiamus Ariſtotelem. Ille quàm ſæpisſimè hoc inculcat dicterium: *Cuncta quæ corrumpuntur, abeunt in illa, ex quibus ſunt, l. 3. Metaph. c. 4. t. 15.* ex *l. 1. Phyſ. t. 65. l. 3. Cœl. t. 14. & 42.* Sed, juxta Ariſtot., cuncta terrena ſunt ex terra, ex *l. de Mun. ca. 6.* illa ſiquidem eſt mater cunctorum in terrena Mundi parte, *l. 1. gener. animal. c. 2.* quomodo etiam in Scriptura S. vocatur, *Eccleſiaſtic. ca. 40, v. 1.* In terram igitur, juxta Ariſtot. cuncta terrena abeunt. Terram proinde & terrena cuncta, juxta Ariſtotelem, mutabilia & caduca eſſe ſic conſtat.

CORONIS
De naturæ regionisq́; Cœlestis ab elementari differentia.

Non unum est, in quo atherea sive Cœlestis regio ab hac inferiori differt. Et omninò magna discrepantia sit necesse est inter istas duas regiones, ut in unam compingi nequeant, quomodo elementa, tametsi ab invicem admodùm diversa, imò prorsus contraria, in unam tamen regionem coëunt, & in una coëxistunt. Illa autem differentia est multiplex. Primò *differunt motu. Omnia enim elementa motu rectô secundùm naturam nata sunt moveri, veluti ignis & aër sursum, aqua & terra deorsum, citôq́; finitur eorum motus naturalis. Etenim statim atq́; locum naturalem ea attingunt, quiescunt. Cœlestia autem motu rectô ferri nequeunt, neq́; sursum, neq́; deorsum, neq́; motu laterali dextrorsum vel sinistrorsum; sed tantùm motu circulari, & quidem continuò atq́; indeficienter, neq́; unquàm à motu cessant, ad continuas rerum generationes salvandas; movebunturq́; in perpetuum, h.e. donec ille hujus seculi status, qui hactenus viguit, perstabit.* Deinde, *Elementa qualitates habent ad invicem contrarias, quarum ratione & ipsa inter se contrariantur, suntq́; nata sese mutuò corrumpere, imò quàm sæpissimè sese invicem corrumpunt in suis partibus, ubi alterum alteri prævalere contingit. Natura autem Cœlestis ab hujusmodi qualitatibus prorsus immunis est, nullas, inquam, habens, secundùm quas in se invicem sidera possint agere, aut ab invicem pati.* Tertiò, *Elementa habent sensibiles qualitates plures, & quidem, ceu dictum, inter se contrarias; Cœlestia verò corpora sive sidera sensibilem qualitatem unam, eamq́; nobilissimam, videlicèt lucem, qua præsunt inferiori Mundo, & multa mirabilia præstant, habent. Quæ autem qualitas cum nullam habeat contrariam, nullum detrimentum exteriùs suscipere, aut corpori Cœlesti inferre potest.* Quarto, *Cœlestia corpora vim habent agendi in hæc inferiora, eaq́; variè immutandi, variaq́; in hac inferiori Mundi parte efficiendi, ceu dies nos docent; hæc inferiora verò sive elementaria nullam vim, nullamq́; potestatem habent reagendi in Cœlestia, aut illa immutandi, aut aliquid in illis ipsis efficiendi.* Quintò, *elementa ingrediuntur mixtorum compositionem, atq́; suis qualitatibus cuncta, quæ ex ipsis componuntur, ad interitum perducunt, nec aliquid eorum sinunt esse perpetuum: Cœlestia verò nullius mixti compositionem ingrediuntur, neq́; de ullius naturâ ullum mixtum participat; sed illa tantùm virtutibus suis in mixtis operantur.*

FINIS.

SECTIO III.

Anthropologiam Aristotelicam Scripturis SS. consentientem exhibens.

§. 1.

QVomodo in hoc negotio Aristoteles cum SS. Literis concordet, videbimus quoque. Sicuti autem elegantissima est hæc doctrina, ita elegantissimum consensum videre licebit. Sistemus eum, pro more, distinctis Theorematibus.

Theorema I.

Homo constat duabus partibus essentialibus, corpore nimirum organicô & animâ rationali.

§. 2. Aristoteles cujusvis viventis, sicut in universum cujusvis substantiæ corporeæ, duas partes essentiales constituit; materiam & formam. Materia viventis est corpus organicum; forma est anima; & hominis quidem materia est corpus organicũ humanum, forma est anima rationalis. Id quod vel unicè ex definitione animæ ab Aristot. tradita patescit. Ita autem illa habet: *anima est actus primus corporis organici vitam habentis potentiâ, l. 2. de an. c. 1. t. 6.* Et *seq. ca. 2. t. 25.* expresse dicit, *animans esse, quod ex utrûque* (corpore, inquam, & anima) *constat.* Hinc argumentamur: Omne animans constat corpore & animâ secundùm speciem sibi competente. Homo est animans. Er. homo constat corpore & animâ secundùm speciem sibi competente.

§. 3. Not. quòd dictum: *secundùm speciem sibi competente.* Non enim quælibet anima quodlibet ingreditur corpus, *l. 1. de an. c. 3. t. 53.* & *l. 2. de an. c. 2. t. 26. inest* (anima) *ob hoc in corpore atq; in corpore tali,* (plantali, animali, & in specie humano, equino, canino, &c.) *non in quovis sine ullo discrimine, quemadmodum veteres ipsam* (animam) *ad corpus accommoda-*

bant, nihil prorsus determinantes, quodnam illud, & quale corpus sit, atq; non rectè, ut patet, quippe cum non videatur quodvis sine ullo discrimine quodcunq; suscipere. Hæc Philosophus.

§. 4. Eædem animantis (adeoque & hominis) partes distinctè recensetur *in l. 2. de gen. anim. c. 3.* ubi animas *quasdam* cum corpore (tanquam altera viventis parte) communicare docet. Animæ cum corpore (ut alterâ parte essentiali) non communicantes sunt animæ hominum, animæ verò cum corpore communicantes sunt cæterorum animantium & viventium animæ. Unde non solùm patet, Aristotelem duas viventium partes essentiales, corpus scil. organicum & animam, statuisse & docuisse, verùm quoque (1.) aliam & aliam alius & alius secundùm speciem animæ habitudinem ad corpus exposuisse, nimirum animam hominis non communicare cum corpore, reliquorum verò viventium animas cum suo corpore communicare. De qua re in seq. plura. Docuit (2.) Aristot. aliam animam ad aliud corpus accommodatam esse, sicut & in genere de forma atque materia dixit *l. 2. Phys. c. 2. t. 26.* Nec enim anima rationalis, tanquam forma immaterialis & cum corpore non communicans, ingreditur corpus caninum aut equinum, &c. nec talia corpora animam rationalem suscipere apta nata sunt. Sed hæc doctrina uberiùs in Physicis exponenda venit.

§. 5. Eôdem planè modô Scriptura S. de homine ejusque essentialibus partibus docet. Ruminemus primi hominis constitutionem, quæ *Genes. c. 2. v. 7.* sic describitur: *Formavit Deus hominem* (intellige, quà corpus) *de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem,* animâ scilic. in corpus ex limo terræ formatum infusâ, & hoc ipso ei unitâ. Quomodo adhuc hodiè se res habet cum hominis generatione & constitutione, ceu alibi ostendimus. Deinde, *Matth. ca. 10. v. 28.* dicit Salvator: *nolite*

nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & corpus & animam perdere in Gehennam. In hoc dicto (1.) anima & corpus tùm conjunguntur, tùm opponuntur. Conjunguntur quidem tanquàm duæ partes essentiales hominis; opponuntur verò tanquam distinctæ & diversæ partes, quarum una mortalis sit, altera immortalis, nimirum anima rationalis. Deinde (2.) in isto dicto perditio in Gehennam tribuitur corpori & animæ, quæ aliàs homini in Scripturis tribuitur, ad significandum, hominis substantiam ex corpore (nimirum organicô) & animâ (rationali) constare.

§. 6. Jungi possunt alia Scripturæ dicta, utpote *Tobiæ 4. v. 3.* ubi ita Tobias ad filium suum: *Cùm Deus acceperit animam, corpus meum sepeli.* Respondet hoc effatum isti *Eccles. 12. v. 7. pulvis* (h. e. corpus ex pulvere terræ factum) *revertatur in terram suam, unde erat, & spiritus* (h. e. anima rationalis) *redeat ad Deum, qui dedit eum.* Quod dictum ad suum se recipit fontem, nimirum ad sacram Genesin; ubi, quà primum, dicitur *c. 3. v. 19. revertaris in terram, unde sumtus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris;* quà alterum verò ad *ca. 2. v. 7. Deus inspiravit homini* (quà corpus de terra formato) *spiraculum vitæ,* h. e. animam rationalem, qua nimirum formaliter & actu est homo. Quibus ipsis dictis duæ essentiales hominis partes satis clarè exponuntur.

II. Tres sunt in homine animæ: vegetativa, sensitiva & rationalis.

§. 7. Apud Aristot. hæc res certa est & liquida, veluti in *lib. de anim. sect. 1. ar. 3. pun. 2.* §. *229. p. 230. sqq.* ostensum fuit, & quidem pluribus. Hîc paucula repetimus. Primò, exprefsè ait Philosophus *in l. 2. de anim. t. 21. aliud genus animæ esse intellectum à vegetativo & sensitivo.* Aliud, intellige, tùm (1.) quantum ad substantiam; intellectus enim (notat

animam rationalem) ſubſtantia immaterialis eſt & ſpiritualis; anima verò vegetativa & ſenſitiva ſunt ſubſtantiæ materiales; tùm (2.) quantum ad modum operandi; hæ enim operantur dependenter à materia ſive ſubjecto corpore; illa verò independenter. Id quod deinde clariùs expreſſit *in l. 2. de gener. anim. c. 3.* duplex conſtituens animarum genus; unum, quod communicat cum corpore & actione corporis, quò refert animam vegetativam & ſenſitivam; alterum, quod cum corpore & actione corporis non communicat, quod ſolius animæ rationalis eſſe ſtatuit.

§. 8. Haſce autem animas diſtinctim in homine eſſe, docet nos probare Ariſtot. h. m. In quocunque ſunt potentiæ & operationes diſtinctarum animarum, in eo ſunt diſtinctæ animæ. Sed in homine ſunt operationes diſtinctarum animarum. Er. in homine ſunt diſtinctæ animæ. Major de ſe admittitur; Eſtque illa ex fontibus Ariſtot. derivata. Minor probatur; homo generat, Ariſtoteles toties, *l. 2. Phyſ. t. 26. & 70. lib. 7. Metaph. c. 7. t. 22.* & *l. 1. part. anim. c. 1.* hoc autem opus eſt animæ vegetativæ. Mittimus, quòd homo nutriatur & augmentetur, quæ quoque animæ vegetativæ operationes ſunt. Deinde, homini ſenſitivum ineſſe, eique ſenſuum operationes convenire, Ariſtotelis eſt doctrina, *in lib. 2. de anima*, ita (inter alia) ſe habens, ut Philoſophus ipſam intellectus operationem in ſenſuum operatione quaſi fundatam eſſe velit, dum nihil in intellectu eſſe, quod non priùs fuerit in ſenſu, omnemque noſtram ſcientiam à ſenſibus incipere affirmat, ſicut in *l. 1. Metaph. c. 1.* abundè videre eſt. Et *in lib. 3. de anim. t. 30. ſqq.* intellectum ſine phantaſmatibus (quæ à ſenſu & ſenſibilibus deſumuntur) ne quidquam intelligere, docet. De animæ rationalis operationibus in homine Ariſtot. & ſæpiſſimè & elegantiſſimè docet, præcipuè in *l. 3. de anim.* qui totus in eo eſt, ut animæ intellectivæ operatio-

rationes enarret, earumque modum explicet. Locô omnium sit unicum illud Aristot. effatum, *in l. 1. Metaph. c. 1.* initio: *omnes homines naturâ desiderant scire*: quo ipso duæ operationes, duæque adeò potentiæ animæ rationalis exprimuntur; *scire* enim intellectus est, *desiderare* verò voluntatis.

§. 9. Pluribns hæc res ex Aristotele evinci poterat, præcipuè ex illo *l. 2. de anim. c. 2. t. 24. anima est principium, quo vivimus seu nutrimur, sentimus & intelligimus.* Sit argumentum: in quocunque est principium nutriendi, principium sentiendi, & principium intelligendi, in eo sunt anima vegetativa, sensitiva, & intellectiva. Sed in homine est principium nutriendi, principium sentiendi, & principium intelligendi. Er. &c. Id quod deniq; expresse docet Philosophus *l. 2. de gen. anim. c. 3.* ubi tradit, *animam vegetalem primùm haberi in conceptu humano*, & *pòst sensualem recipi*, & *deniq; mentem* (seu animam rationalem) *forinsecùs accedere.* Atque sic de Aristot. res liquida est; de Scriptura S. idem ostendemus.

§. 10. Quantum igitur ad Scripturam S., ipsa nobis suppeditat idem hoc argumentum, quod in §. 8. proposuimus. Nec quidquam hîc desideratur, quàm Minoris probatio, quam præstamus sequente mooô. Primò: Scriptura S. tribuit homini nutritionem, augmentationem, & similis generationem; hæc autem sunt opera animæ vegetativæ, nullius alius. Deinde tribuit homini opera sensuum; *Genes. 3, v. 6. vidit mulier, quòd bonum esset lignum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu ejus, & comedit.* Hæc autem omnia sunt sensuum opera. Porrò dicitur *ca. 4, v. 1. Adamum cognovisse uxorem suam*, &c. id quod sine sensu fieri haut potuit. Denique Adamo tribuuntur opera intellectus, & quidem plurima; præcipuum est, quòd animantibus creatis dedit nomina, *Genes. 2, v. 20.* Nonne jam benè habet argumentum; Cuicunque Scriptura S. tribuit operationes

distinctarum animarum, eidem quoque tribuit distinctas animas. Sed Scriptura S. homini tribuit opera distinctarum animarum. Er. &c. & quidem tres, siquidem tot animarum operationes in ipso sunt conspicuæ.

§. 11. Diducitur argumentum & declaratur. Primò: *Adam genuit filios & filias, Genes. c. 4. & 5.* Non autem genuit vel secundùm, vel, per animam rationalem. 1. Hujus enim non est potentia generativa. Præterea 2. generant etiam alia animantia, ratione destituta. Anima ergo rationalis non est principium generandi simile. Nec etiam genuit Adam secundùm, vel per animam sensitivam. Etenim 1. neque hæc pollet potentiâ generandi; quin 2. generant alia viventia sensu non prædita, nimirum plantæ. Sed denique animæ vegetativæ propria est potentia generandi. *Anima prima* (ita vocat vegetativam Philosophus) *est generativa talis, quale est id, quod eam habet, l. 2. de an. t. 49.* Habemus igitur in Adamo (sicut & in alio homine quovis) animam vegetativam, ab aliis distinctam. Deinde; Mulier vidit lignum ejusq; fructum; vidit & Adam; gustavit Mulier, gustavit & Adam. Non certè secundùm aut per animã vel vegetativam, vel intellectivã. Neutra enim ejusmodi gaudet facultatibus. Igitur per aliam, & ab illis distinctam, animam nempe sensitivam.

§. 12. Porrò, Scriptura S. docet nos, animam rationalem esse immortalem, *non posse occidi, Matth. 10. v. 28.* sed *redire ad Deum, qui dedit ipsam, Eccles. 12, v. 7.* Hoc ipsum verò de parte sensitivâ, sive, de principio sensitivo, vel, ut ut illud vocaveris, nullibi affirmat Scriptura S., nec affirmat de parte aut principio vegetativo. Quòd sanè utrumq; animę & nomine & definitione venit in Physica Disciplina, ad quam hujus rei explicatio unicè spectat, nec illa in Scripturis tradita invenitur. Utrumque autem isthoc principium, sive utraque hæc anima deficit & desinit cum corpore, ceu Liber Natu-

ræ, qui Libro Scripturæ neutiquàm est contrarius, nos docet. Argumentamur: quæcunque in homine ita se habent, ut unum eorum sit immortale, alia verò sint mortalia & caduca, illa secundùm rem sunt distincta & diversa in homine. Sed ita se habent in homine principium intelligendi, & principium tùm sentiendi, tum nutriendi, quòd nimirum illud est immortale, hæc verò duo sunt mortalia. Er. illa principia secundùm rem sunt distincta & diversa in homine.

§. 13. Præterea, consideretur ex Scripturis, quòd *anima nostra rationalis est spiritus, qui redit ad Deum, qui dedit eum, Eccles. 12, v. 7. Psal. 30, v. 6. Luc. 23, v. 46.* Sed hoc neque de parte vegetativa, neque de parte sensitiva animæ in homine dici potest. Argumentamur ex superabundante I. quodcunque principium vitale Physicum in homine, non est anima spiritualis, nec hujus animæ potentia, illud peculiaris & ab illa (spirituali) distincta sit anima necesse est. Sed tàm principium vegetandi, quàm principium sentiendi in homine sunt talia, &c. Er. &c. Majorem firmô putamus stare talô; Minor patet, primò quidem; nemo vel principium vegetandi, vel principium sentiendi in homine spiritum salutabit, aut pro spirituali anima venditabit; deinde, neque pro potentia animæ spiritualis; quomodo enim spiritualis, immaterialis & inorganicæ animæ potentiæ possunt esse materiales & organicæ? Maximè, si potentiæ animæ ab anima realiter non distinguantur.

§. 14. Argumentamur II. Quæcunque animæ partes ita se habent in homine, ut una earum sit separabilis à subjecto corpore, aliæ verò suâ naturâ sint inseparabiles ab eodem, & cum eo intercidant, illas re ipsâ distinctas, imò diversas esse oportet. Sed ita se habet δύναμις rationalis, & reliquæ potentiæ vitales in homine, puta, vis nutriens & sentiens; Er. δυνάμεις sive partes illæ (vel quomodocunque nomina-

veris) realiter invicem distinctas & diversas esse oportet. Annon verò principium nutriendi in homine erit anima vegetativa, & principium sentiendi in eôdem erit anima sensitiva, sicut principium intelligendi in ipso est anima rationalis? Quid, quæso, clarius esse potest?

§. 15. Denique, nullum est dubium, distinctim & diversimodè istas animæ partes esse factas in Adamo æquè, ac in aliis hominibus, nimirum, animam vegetalem & sensualē esse factas in & cum corpore, adeoq; dependenter ab ipso, quod est, ipsas eductas fuisse è potentia materiæ; animam verò rationalem immediatè fuisse à Deo creatam & infusam corpori Adami & Evæ, post ejusdem formationem. Quod enim Deus immediatè ad se suscipit in hominis morte, illud immediatè dedit in hominis generatione. Et præterea, non apparet, quomodo pars vegetativa & sensitiva animæ in Adamo acceperint esse pro creationem, in animantibus verò aliis (priùs à Deo conditis) per eductionem è potentia subjectæ materiæ? Quæ igitur partes animæ in homine habent distinctum & diversum ortus sui modum, illas ipsas inter se distinctas, imò diversas esse oportet. Sed animæ pars vegetativa, sensitiva & rationalis habent distinctum modum ortus sui, tùm in primis parentibus, tùm in aliis hominibus post ipsos. Er. partem animæ vegetativam, sensitivam & rationalem inter se distinctas, imò diversas esse oportet, puta, in homine, in quo existunt & operantur. Sed satis impræsentiarum de hoc negotio; transimus ad alia.

Theorema III.

Homo est conditus ad imaginem & similitudinem Dei.

§. 16. In Scripturis quidem hæc res satis clarè proposita est, *in Genes. 1, v. 26. & 27.* An verò Aristoteles eam cognitā habuerit, & aliquid de ea ullibi tradiderit, dubium est, maximè cum sit res fidei & revelationis.

§. 17.

§. 17. Not. igitur, *imaginem Dei*, ad quam factus homo, accipi dupliciter: vel *generaliter*, pro congruentiâ hominis cũ Deo quà dona naturalia, in intellectu & voluntate posita, ceu videre est apud Philipp. Melanchth. *in Lib. de An. part. postrem. tit. de imag. Dei. p. m. 332.* Chytræum *com. in Genes. p. 73.* Mylium *Comm. in Ep. ad Rom. c. 2. v. 14. f. m. 57. & 60.* vel *specialiter*, de congruentia cum Deo quà vitam spiritualem, & quà dotes illas, quæ exprimuntur *in Epist. ad Ephes. c. 4, ver. 24. & 25. Colos. 3, v. 20.* Vid. Grauer A. C. *ar. 2. p. m. 31. lin. ult.*

§. 18. *Primus gradus similitudinis est*, inquit Melanch. l. d. *habere potentiam intelligentem, & congruentem sapientiam.* Chytræus definit *animam rationalem, quòd sit substantia spiritualis, viva, creata à Deo ad imaginem ipsius, i. e. intelligens, libera & justa*, &c. Mylius de Tertulliano refert, quòd *libertatem hominis partem quandam Imaginis Dei posuerit, d. p. 57. & f. 60. a.* ait: *hæc facultas* (liberè agendi) *est pars imaginis divinæ.* Et Lutherus *Tom. 1. in Genes. fol. 17. b. Doctores*, inquit, *reliqui ferè Augustinum sequuntur, qui Aristotelis divisionem retinet, quòd imago Dei sint potentiæ animæ, memoria, mens vel intellectus, & voluntas*, &c. Ut proinde Tertullianus, quem hoc nomine citat Mylius *l. d.* & Augustinus conveniant, quos posteà alii Doctores fuêre secuti.

§. 19. Quibus sic prælibatis, patebit, Aristotelem primam & (ita loquendo) fundamentalem imaginis Divinæ partem in homine (quòd nimirum intelligentis naturæ sit) cognitam habuisse, idque ex Præceptore, Platone, audiisse, didicisse. Is enim duo tribuit homini, in quibus posita ejus integritas & perfectio: (1.) γνῶσιν τοῦ θεοῦ, *cognitionem Dei*, quam ipse vocat *veram sapientiam*, quâ Deus cognoscatur unus, summus, summè potens, summè providens, summè justus, &c. Quæ ubique inculcat, præprimis *in Epinomide*, ubi eam demum *sapientiam* (σοφίαν) *veram esse* ait, *scire, Deum esse,*

eumq; Dominum ac Moderatorem rerum omnium, qui curam earum gerat, sive minores sint, sive majores, nec verbis flecti possit, ut à justo decedat, ac indulgeat sceleribus. (2.) τὴν ὁμοίωσιν σὺν τῷ θεῷ, *similitudinem sive conformitatem cum Deo*, quam ipse vocat *virtutem veram*, & in eo positam putat, si quis studeat quàm justissimus fieri, quemadmodum Deus justissimus est. Sic enim habet *in Theateto: Deus nusquam nunquam injustus est, sed, quantum fieri potest, justissimus. Deo autem nihil conforme magis est, quàm si quis nostrûm justissimus fiat. In hoc hominis solertia versetur, qui aliàs nihil est, & planè iners. Hoc enim nôsse, sapientia & virtus vera est, ignorare autem, ruditas & deses malitia.* Et paulò superiùs in eandem scripserat sententiam: *Opera nobis danda est, ut quam celerrimè possumus, huc illuc fugiamus. Fuga autem est, ut Deo, quàm proximè fieri poterit, assimilemur atq; conformemur. Deo autem nos assimilat justitia & sanctitas cum sapientia conjuncta.* ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.

§. 20. Sed Aristotelem nostrum adeamus. Is non solùm *similitudinem hominis cum Deo* cognitam habuit statuitque; verùm *eam in duobus ponit*, sive, in duobus esse conspicuam, docet; 1. *in intellectu* & ejus operibus; 2. *in voluntate*, & actionibus virtutum. Quà primum; tribuit homini *mentem* seu *intellectum*, non solùm *in libb. de Anim.* sed in aliis quoque; insuper & *intellectum divinum*, item *incorruptibilem* nuncupat, *l. 1. de anim. t. 65. 66. & 82.* item *l. 12. Metaph. t. 39.* Et propterea *hominem* quoque ipsum *divinum* vocat, *lib. 4. par. anim. ca. 10.* ubi sic: *solus animalium omnium erectus est, quoniam ejus natura atq; substantia divina est. Officium autem divini est intelligere atq; sapere.* Ορθὸν μὲν γὰρ μόνον τῶν ζώων, διὰ τὸ τὴν φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν εἶναι θείαν. ἔργον δὲ τοῦ θειοτάτου, τὸ νοεῖν καὶ φρονεῖν. Jungimus *l. 1. Metaph. c. 1. & 2.* ubi statuit & ostendit, primam sapientiam (intelligit autem Philosophiam

phiam Primam, aliàs Metaphysicam dictam) honorabilissimam esse; ex eo nimirum, quòd sit divinissima. *Quæ enim divinissima est*, inquit, *scientia, eadem etiam honorabilissima est*. Divinissimam autem esse primam sapientiam, probat ex duobus; 1. quòd Deus ipsam habeat; 2. quòd sit de rebus divinis. Et quia *homo naturâ scire & sapere desiderat*, *l. 1. Metaph. c. 1. init.* is hoc ipso, quô divina contemplatur, Deo assimilatur, divinusque evadit.

§. 21. Nonne inde talia argumenta nectere licet. 1. Quodcunque hominis est divinum & incorruptibile, secundùm id homo est divinus, vel Deo similis. Atqui intellectus hominis est divinus & incorruptibilis. Ergò homo secundùm intellectum est divinus, vel Deo similis. Nunc licet 2. ulteriùs progredi: Id quod præcipuum est in homine, ut in substantia intellectuali, in eo similitudo hominis cum Deo posita est. Atqui mens sive intellectus est præcipuum in homine, ut in substantia intellectuali. Er. in mente seu intellectu similitudo hominis cum Deo posita est. Imò deniq; 3. hoc argumentum afferimus. Per quod Deo assimilamur, & quidem maximè, in eo consistit imago & similitudo Dei; siquidem illa nihil aliud est, quàm similitudo & conformitas cum Deo. Atqui per scientiam & sapientiam Deo assimilamur, & quidem maximè. Er. in scientia & sapientia similitudo nostri cum Deo posita est. Intellige de primo gradu & parte Physica Imaginis Divinæ.

§. 22. Sed hoc expresse docet Aristot. *lib. 10. Ethic. Nic. ca. 8. At vivere Deos* (loquitur modô vulgari Aristoteles) *cuncti existimant, quare etiam operari; non enim, ut de Endymione dicitur, dormire eos oportet. Ei igitur, qui vivit, & actione atq; effectione item magis caret, præter contemplationem quid restat? Quare Dei operatio, quum beatitudine excellat, contemplativa erit, & ex humanis felicissima ea erit, quæ huic maximè est cognata. Argumentô illud est, quòd cætera animalia,*

quæ tali operatione penitus carent, expertia felicitatis quoque sunt. Diis enim beata tota vita est, hominibus autem eatenus, quatenus similitudo quædam (ὁμοίωμά τι) *operationis in ipsis inest. At cæterorum animalium nullum est felix, propterea, quòd contemplationis nullo modô est particeps.* His consona sunt ea, quæ leguntur *anteced. cap. 7. Si divinum quoddam mens est cum homine comparata, si vita ei congrua, & consentanea divina est ad humanam, omnes debemus non spectare humana, quum simus homines, nec mortalia, quum mortales; sed quoad possumus, niti ad immortalitatem, omniaque perficere, ut vitam ex eo degamus, quo nihil in nobis est præstantius,* nimirum ex intellectu.

§. 23. Quantum ad alterum verò, scil. ad virtutem & virtutis actionem, sit primò ex Philosopho nostro elegantissimum dictum *l. 4. par. anim. c. 10.* ubi sic: *quæ autem* (viventia) *cum vita etiam sensu prædita sunt, hæc speciem multiformiorem* (πολυμορφοτέραν ἰδέαν) *recipiunt. Atque inter alia magis, & eò ampliùs, quòd non solùm vivendi, sed etiam benè vivendi rationem natura eorum obtinuit,* (ὅσων μὴ μόνον τοῦ ζῆν, ἀλλὰ καὶ τοῦ εὖ ζῆν ἡ φύσις μετείληφε) *quale hominum genus est, quippe quod aut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis divinitatis particeps sit, aut omnium maximè.* ἢ γὰρ μόνον μετέχει τοῦ θείου τῶν ἡμῖν γνωρίμων ζώων, ἢ μάλιστα πάντων. Argumentamur: Quocunque à brutis longè absumus, & ad Deum proximè accedimus, in eo Deo similes sumus, aut ei assimilamur. Atqui in benè (h.e. juxta dictamen rectè rationis) operari à brutis longè absumus, & ad Deum proximè accedimus. Er. &c.

§. 24. Sed audiamus porrò Aristotelem: Ita ille *d. l. 10. Ethic. ca. 9. Quacircà antè dicta ita intelligenda sunt, ut ad vitam & facta referantur, & si cum factis consentiunt, admittenda, sin ab eis discrepant, verba sunt existimanda. At qui ex intellectu operatur, huncque excolit, is optimè affectus, & Deo charissimus videtur. Nam si aliquam humanarum rerum curam*

Dii habent, sicut videtur, consentaneum est, ipsos re illâ, quæ optima est, atq; ipsis maximè cognata, delectari; ea verò est intellectus; eosq;, quia ea maximè amant & honorant, remunerari, utpote qui eorum, quæ ipsis sunt amica, curam habeant, rectèq; & honestè agant.

§. 25. Ea de causa homini inditum esse docet δίκαιον φυσικὸν, *l. 5. Ethic. ca. 7.* per quod nihil intelligit aliud, quàm naturale dictamen conscientiæ de justo & injusto, *etiamsi nulla societas aut pactio hominum inter se intercesserit*, uti loquitur Philosophus. Hac, inquam, de causa homini, in hunc finem condito, ut Deum cognoscat, ac per virtutem, h. e. justitiam & sanctitatem (uti Plato docuit in Theæteto) ipsi conformis fiat, lata & data lex à Deo, quæ non in tabulis scripta fuit, verùm in anima expressa. Quæ lex, uti dictum, Aristoteli appellatione τοῦ δικαίου φυσικοῦ venit. Atque hæc lex quia immutabilis est, h. e. non mutatur locis aut temporibus, sed semper & ubique valet, sicut ignis (sibi suæque naturæ relictus) semper urit, ideò de ea Antigone apud Sophoclem ait, quòd οὐ νῦν καχθὲς, ἀλλ' ἀεὶ ζῇ, *quod non nunc aut heri, sed semper vivat*, adeoque æterna sit.

§. 26. Quæ Aristotelis aliorumque veterum Philosophorum doctrina digna visa fuit Apostolo Paulo, ut eam multis seculis pòst *in Epist. ad Roman. c. 2. ver. 14.* repeteret, atque denuò assereret, *gentes*, ajendo, *quæ Legem non habent, naturâ* (φύσει) *quæ legis sunt, faciunt. Ostendunt enim opus legis scriptum in cordibus suis, simul testimonium perhibente eorum conscientiâ.* Ut dictum antè, notatur naturale dictamen conscientiæ de justo & injusto, cujus ductu ita agit (agere studet) homo, ut Deo, cui aliàs quà νοῦν, h. e. mentem seu intellectum similis est, etiam in hoc similis fiat, ut justè, imò quàm justissimè vivat. *Deo enim nos assimilat justitia & sanctitas cum sapientia conjuncta*, ceu divinè tradit Plato *in Theæteto.*

Theorema IV.

Deus homini propagationem suæ naturæ concessit.

§. 27. In hoc negotio respiciendum ad duo: 1. ad *Naturæ institutionem*; 2. ad *hujus executionem*. Institutio Naturæ, quantum ad hoc, habetur in illo Oraculo Mosaico: *Crescite & multiplicamini*; executio in historia Geneseos *cap. 4. init.* ubi dicitur, quòd *Eva*, posteaquàm Adam ipsam cognovit, *pepererit Cain*; & *rursum peperit Abelem*. Proponunturque in *d. cap. 4. & seq. 5. cap.* integræ Genealogiæ, quæ de multiplicatione & propagatione generis humani abundè testantur. Spectat quoque huc Genealogia Christi, à *Matthæo cap. 1.* & *Luca cap. 3.* descripta.

§. 28. Optimè quoque de hac re Aristoteles. Quantum (1.) ad institutionem naturæ, illam exponit *l. 2. de anim. cap. 4. In t. 49.* ait: *est autem prima anima principium generandi tale, quale est id, quod eam habet.* Per *animam* autem *primam* intelligit *vegetativam*, quæ potentiâ generandi prædita est, cujusque adeò officium est, ceu *antec. t. 34.* exponitur, generare, sive causam esse in viventibus, *qua unumquodque sibi simile procreat, animal quidem animal, planta autem plantam*, (jam finem exponit) *ut sint semper hoc pactô, conditionemque subeant, quoad possunt, divinam, &c.* Et mox: *cum igitur semper esse conditionemque subire divinam continuatione nequeant animantia, quia fieri nequit, ut caducorum atque mortalium quidquam idem unumque numerô semper permaneat; ut unumquodque potest, sic æternitatis conditionisque divinæ particeps est; permanetque non ipsum*, (sive, non idem numerô) *sed tale, quale est ipsum, numerô quidem non unum, specie autem unum.*

§. 29. Nunc progredimur. 1. At verò quia homo habet animam vegetativam, quâ vitam plantæ vivit, ipsum quoque habere principium generandi tale, quale ipse est, consequitur. Vel 2. argumenteris sic; omne animans pollet vi sibi

simile

simile in specie generandi. Homo est animans. Er. &c. Minor de se constat, uti & Major, quæ nihilominùs probatur ex superabundante, quia omne animans gaudet animâ vegetativâ, utpote quam anima sensitiva, tanquàm se priorem, supponit, ceu ex *lib. 2. gen. anim. c. 3.* constat.

§. 30. Quantum (2.) ad naturæ executionem, illa toties ab Aristotele inculcatur, quoties inquit: *homo generat hominem*. Inquit autem sæpissimè, ceu notum est. Et elicitur idem ex *d. l. 2. de an. t. 34. & 35.* Quocunque homo, qui suâ naturâ mortalis est, conditionem subit divinam & æternam, & in hoc aliis animantibus æqualis est, id homo æquè ac alia animantia obtinet. Sed homo per sibi similis procreationem subit conditionem divinam & æternam, &c. (Quamvis enim ipse, h. e. idem ille quà numerum nō permaneat, manet tamen in individuo genito, quod servat speciem.) Er. homo sibi similis procreationem obtinet, æquè ac alia animantia.

Theorema V.

Ad generationem hominis concurrunt mas & fœmina; ille, qui principium activum, (γονὴν) hæc, quæ principium passivum (ὕλην) ad generationem conferat.

§. 31. Pulchra hæc est doctrina apud Aristot. *in l. 1. gener. anim. c. 2.* ubi sic: *Generationis principia illa quis potissimùm statuerit, marem & fœminam; marem, ut quòd motus & generationis originem teneat, fœminam, ut quòd materiæ.* Legatur totum caput, & conferatur *cap. 20.* ubi concludit; *quòd si mas est ut movens & agens, fœmina quà fœmina ut patiens, sequitur, ut ad maris genituram fœmina non genituram, sed materiam conferat.* Addatur quoque *seq. cap. 21.* Et *cap. 22.* h. m. incipit: *Ortus ejus, quod generatur, in fœmina agitur, nec in marem semen emittit fœmina, sed semen immittitur in fœmi-*

fœminam, quoniam in fœmina est materia, ex qua constat, quod generatur.

§. 32. Eadem generationis humanæ principia constituit Scriptura S. 1. marem, utpote qui motus & generationis originem tenet, & 2. fœminam, quæ ut patiens se habeat, & virile semen, quod generationis instrumentum est, in se recipiat, sustineat, foveatque. Hoc docetur *Genes. 4, v. 1. Adam cognovit* (יָדַע) *uxorem, suam, quæ concepit, & peperit Cain.* Similiter quoque *Cain cognovit uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch. vers. 17.*

§. 33. Et hujus rei causâ, & hac potissimum fini Deus creavit masculum & fœminam, id quod ex divinâ institutione & benedictione apparet. Creatis enim illis dixit & benedixit Dominus: *crescite & multiplicamini, & replete terram, Genes. 1, v. 27. seq.* & *cap. 5, v. 2.* Quô mandatô opus generationis & propagationis humanæ Deus utrique injunxit, volens & præcipiens, ut præstent & mas & fœmina, quod cujusque officium hac in parte requirit, nimirum, ut mas ineat fœminam, ejusque uterum semine aspergat, hæc verò ex illo concipiat atque pariat.

Theorema VI.

Hominis generatio est ex semine utriusq; parentis.

§. 34. Sequentia hic distinctim observanda veniunt. I. Generatio viventium, adeoque & hominis est ex semine. *Omnia ex semine gigni, semen autem ipsum proficisci ex generantibus videtur,* ait Arist. *lib. 1. gen. anim. ca. 17.* II. Generatio fit ex semine utriusq; parentis, eoque diverso, scilicet ex γονῇ patris, & ὕλῃ matris, sive à matre ad generationem suppeditatâ. Hanc autem materiam esse menstrua, docet *d. l. ca. 19.* ajens, *à fœmina conferri ad generationem materiam, quæ in menstruorum constitutione* (ἐν τῇ τῶν καταμηνίων συστάσει) *sit, &c. Menstrua* autem dicit esse *semen impurum, seq. c. 20. indigens*

confe-

confectionis, δεόμενον ἐργασίας, quod nimirum elaboretur & perficiatur. Et *lib. 2. de gen. an. ca. 3.* inquit; *menstrua semen sunt, quanquam non purum.* Hinc fluit III. semina non solùm distincta & diversa esse, verùm quoque diversimodè se habere in generatione, sive diversa munia sustinere. Uti dictum enim, semen maris agentis & moventis vicem sustinet, semen fœminæ verò sive sangvis menstruus materiam præstat, ex qua formetur homo; de quibus singulis uberiùs in Physicis agitur.

§. 35. Eôdem planè modô de generatione hominis Scriptura S. Hæc enim exhibet nobis dicta, quæ (1.) de semine maris seorsim, & (2.) quæ seorsim de sanguine materno loquuntur, nec non talia, quæ utriusque junctim mentionem faciunt. I. De semine maris loquitur illud *Levit. 12, v. 2. mulier, si susceptô semine pepererit masculum, &c.* susceptô scil. semine ex mare in congressu, quem actum verbô *cognoscendi* exprimit Moses *in Genes. c. 4, v. 1. & 17.* II. De sanguine materno ad generationem concurrente procul dubio intelligendum illud *Actor. 17, v. 26.* ubi dicitur, quòd *Deus fecerit ex uno sanguine omne genus hominum.* III. Utrumque generationis humanæ principium junctum reperitur *in Lib. Sap. c. 7, v. 2.* ubi sic: *in utero matris caro decem mensium tempore formatus sum, in sanguine coagulatus, ex semine viri, & voluptate somni comitante.* Ita habet Græcus textus: καὶ ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σὰρξ δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ, παγεὶς ἐν αἵματι ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης.

§. 36. Pertinet huc elegantissimum Jobi dictum, *ca. 10, v. 10. Nonne sicut lac mulsisti me, & velut caseum me coagulasti.* Est verò appositissima & maximè naturalis comparatio. Nimirum, *quilibet nostrum à parentum genitalibus emulgetur in semine, sicut lac,* inquit Franc. Vallesius *lib. de S. Philos. ca. 45. p. m. 223. & coagulatur in utero sicut caseus.* Pergit verò: *nam*

convenit semini cum lacte materiâ & conditionibus, & generationis modô, & officinis, quibus fiunt, & usu. Utrumq; enim fit ex sanguine, maturatione quadam, alterum in testibus, alterum in uberibus, partibus substantiæ valdè similibus, suntq; ambo succi albi & crassi. Utitur verò natura altero ad generationem, altero ad recenter genitorum nutritionem, ut alimentô scilicet parum evariante ab ipso generationis principio. Ipsum igitur semen verissimè dicitur esse ut quoddam lac; ipsa verò prima embryonis generatio, coagulatio est, ut caseiex lacte. Hæc ille.

§. 37. Allegat hanc in rem Aristotelem Vallesius, quòd inquiat *l. 1. de gener. anim. c. 21. velut in lactis coagulatione corpus quidem ipsum lac est, succus autem coagulatum, quod principium habet coagulandi; ita quod à viro in mulierem secernitur.* Verùm *in d. ca. 21.* nihil hujus rei videre est, ut allegatio hæc fallat. Invenimus verò *in l. 2. de gener. an. c. 4. in med.* verba, eandem, quam Jobus proposuit, similitudinem exponentia. Ita autem habet ibi: *Cum autem excrementum fœminæ in utero constiterit à maris genitura, quæ simile facit, ut lactis coagulum. Coagulum enim lac est continens calorem vitalem, qui similes partes ducit eôdem, & unit, atq; constituit. Et genitura ita se habet ad menstruorum naturam: eadem enim natura lactis* (scil. quantum ad hoc) *& menstruorum est.* Ut sicut in aliis, ita & in hoc videamus doctrinarum Aristotelicarum cum Oraculis divinis harmoniam.

Theorema VII.

Semen (ad generationem hominis concurrens) non est animatum actu.

§. 38. Peculiare quoque hoc est Aristotelicæ doctrinæ monumentum. Et patescit vel unicè ex definitione *animæ*, quâ dicitur, quòd sit *actus corporis organici, l. 2. de an. t. 6.* Jam verò semen (si vel de maris genitura, vel de menstruis fœmi-

næ accipias) non est corpus organicum. Er. neque habebit animam actu. Habet verò semen animam δυνάμει, sive potentiâ, uti de professo docetur *l.2. de anim. c.2. t.14. & l.7. Metaph. c. 9. t. 31. & l. 9. Metaph. c. 8. t. 13.* vel, quòd eodem recidit, est animatum potentiâ. Igitur non est animatum actu. Inter τὸ esse actu enim & esse potentiâ, uti & inter τὸ habere actu, & habere potentiâ, non datur medium.

§. 39. Imò ne quidem conceptus (κύημα) animatus est, id quod probatur eodem argumentô, siquidem conceptus non est corpus organicum. Igitur nec animatus est actu. Potentiâ animatum esse, docet Aristot. *l. d.* sic tradens: *animam igitur vegetalem in seminibus conceptibusq;, scilicet nondum separatis, haberi potentiâ statuendum est, non actu, priusquàm eô modô, quô conceptus separati, cibum trahant, & officiô ejus animæ fungantur.* Et mox: *De anima quoq; sensuali pari modô dicendum est, atq; etiam de intellectuali. Omnes enim potentiâ prius haberi, quàm actu necesse est.* Non ergo in semine aut in conceptu sunt animæ; sed in eo, quod ex conceptu confectum & constitutum est, nimir. in corpore organico.

§. 40. Imò conceptus humanus Aristoteli non est homo actu, sed, uti in Scholis loquuntur, homo fiendus adhuc. Quidquid verò juxta Aristot. non est homo actu, id nec juxta eund. habet animam intelligentem actu. Sed conceptus humanus juxta Aristot. non est homo actu. Er. neque conceptus humanus juxta Aristot. habet animam intelligentē actu. Imò *anima hæc non intrat quodvis corpus, l.1. de anim. t.51.* sed illud, quod pro ea elaboratum & dispositum est, nempe corpus organicum humanum, de qua re in antecedentibus.

§. 41. Sed forsan de Aristot. res clara est & certa. Ad fontes Scripturæ S. accessum facimus, & spectamus primò semina parentum seorsim. De Onan dicitur *Genes. 30, v. 9.* quòd ad uxorem fratris sui intrare, & huic semen suscitare

recuſans, in terram fuderit & perdiderit ſemen, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Hoc ſemen verò fuiſſe animatum, aut hominem actu, ex loco allegato non habetur. Nec enim dicitur, quòd commiſerit homicidium, aut ſemen animatum ſive animam in ſe habens in terram projecerit; ſed hoc dicitur *ſeq. ver. 10.* quòd *hæc res, quam Onan fecit, Domino diſplicuerit, qui eum adeò percuſſerit, (occiderit)* quòd nimirum rem abominabilem fecerit. Ex ſuperandante ſtruimus ſyllogiſmum: ille humor, cujus è corpore humano effuſione vel profuſione non fuit commiſſum homicidium, non fuit animatus, aut homo actu. Sed talis humor fuit ſemen ab Onan in terram profuſum. Er. ſemen illud non fuit animatum, aut homo actu.

§. 42. Id quod iterum cernere eſt ex *Levit. ca. 15, v. 2. & ſq.* De ſanguine menſtruo fœminæ loquuntur *ver. ſeqq.* Et *ſeq. cap. 20. Levit.* præcipit Deus, *κτηνοκοίτας καὶ ἀρσενοκοίτας*, i.e. qui cum brutis aut maſculis coierint, occidendos eſſe. Verùm (1.) non dicit textus, eos tanquam homicidas, aut animarum interfectores occidendos eſſe; ſed quia rem abominabilem & deteſtabilem fecerint, petulanter effundendo ſemen, quô, convenienter & legitimè exceptô, generari potuiſſet homo. Imò (2.) eandem mortis pœnam illis quoque ſtatuit Dominus, qui naturæ ordinem non ſequentes, ſed turbantes, præpoſteræ Veneris facinore non cum fœminis ſuæ ſpeciei, ſed cum diverſæ, illicitô & abominabili coitu, concubuerint.

§. 43. Verùm quia Deus promiſcuas ſeminum confuſiones fieri prohibet, & omnem immunditiem deteſtatur; morte puniri vult eum, qui caſtitatis legem & ordinem divinitùs ſancitum violaverit. Cæterùm, graviter dicuntur peccari, & quidem veriſſimè, qui ſemine nefariè abutuntur, nimirum, quia ſemini ineſt talis vis, quâ, etſi actu animatum

non

non sit, corporis humani substantia produci possit, & per quam corpus ita producatur atque disponatur, ut ad substantialem cum anima rationali unionem aptum sit & pronum. Ut omninò hîc locũ inveniat argumentatio *antec.* §. *41.* facta.

§. 44. De conceptu, imò de fœtu ipso adhuc inanimato prostat locus *Exod. 21, v. 22. si quis percutiat mulierem, uterum gerentem, & abortierit, si fœtus formatus fuerit, mulctetur pecuniâ.* Primò notet. quod ait: *si fœtus formatus fuerit*; non verò: *si animatus fuerit.* Formatio enim corporis præcedit, infusio animæ subsequitur. Ita (1.) Scriptura S. *Genes. 1. formavit* Deus *hominem* (quà corpus scilic.) *de limo terræ*, & postcà *ei inspiravit spiraculum vitæ*; & *Esaiæ 57, v. 16. à facie Dei spiritus* (h. e. anima) *induit corpus*, scil. antè formatum; quomodo enim indueret, nisi jam antè esset formatum? Add. *Sapien. 15, v. 11.* ubi dicitur, quòd *Deus homini* (quà corpus) formato *inspiraverit animam, & sufflaverit in ipsum* (h. e. ipsius corpus) *spiritum vitalem.* Idem (2.) docet Aristot. *lib. 2. de gen. animal. c. 3.* de professo.

§. 45. Deinde, quæritur: cur si quis mulierem prægnantem tempore formationis, &, uti vulgò volunt, primis quadraginta quatuor vel quinque diebus percutiat, ita ut abortiat, mulctæ tantùm pœnâ afficitur, non verò ordinariâ homicidii pœnâ? Hujus rei nulla alia dari potest ratio, quàm quia fœtui nondum inest anima rationalis, neque is nomen hominis propriè meretur. Quòd si verò post absolutum formationis opus, & post infusionem atque unionem animæ, percussio illa contingat, animam dare pro anima cogetur percussor. Ut proinde lex illa evincat, vel, lege illâ evincatur, animam rationalem non inesse fœtui ante perfectam ej9 formationem, adeoque semen sive conceptum actu animatum nõ esse. Si enim *fœtus* non est animatus ante quadragesimum diem, nec *conceptus* (quidquid etiam voce illâ designetur)

animatus statuendus venit, adeoque (quod inde inferimus, & hîc subnectimus) nec anima rationalis à parentibus per traducem (h. e. uti hodiè exponunt potissimi ejus defensores, *in & cum semine*) propagari dici statuive poterit.

Theorema VIII.

Homo naturâ est mortalis.

§. 46. Intelligendum hoc est de homine naturalem vitam degente, & nutritionis beneficiô, vitæ & facultatum vitalium vires restaurante. Quò etiam referendus venit homo ante lapsum, ceu ex dicendis manifestum evadet. Prænotandum verò 1. quòd dicatur *mortalis homo*. Aliud verò esse *mortalitatem*, aliud esse *mortem*, & differre ista duo, prius quidem tanquam id, quod *potentiam* dicit, posterius tanquàm id, quod *actum*, nôrunt etiam Philosophiæ tyrones. Not. 2. hominem intelligi dicique mortalem secundùm duo. *Tria* enim in homine sese offerunt consideranda; *corpus humanum*, ut materia constitutionis; *anima rationalis*, ut forma dans esse homini; 3. *unio* utriusque, ut ex unitis illis homo existat. Nunc liquet id, quod dicere intendebamus; nempe *hominem esse mortalem* 1. *secundùm corpus*, neutiquam secundùm animam, intellige humanam, quæ est anima rationalis. Hæc enim non est interitui obnoxia; obnoxium verò est corpus. tàm Scripturâ Sacrâ, quàm Aristotele docente; 2. *secundùm unionem*; hæc enim per mortem tollitur, & anima nostra à corpore suo solvitur sive separatur.

§. 47. Denique 3. de homine peculiariter notandum, quòd 1. sit corpus vel substantia ex materia constans pariter & forma, utrâque quidem suâ propriâ. 2. quòd sit mistum ex quatuor elementi; 3. quòd sit vivens; 4. quòd sit animal rationale sive homo, ratione sive intellectu præditus, adeoque vitam intellectualem, ceu in Scholis loquuntur, vivens. Vita intellectualis verò, quam homo ut homo vivit, non est caduca,

caduca, nec propriè moritur homo ut homo, sive uti ratione & intellectu præditus est, sed uti vivens est, corpusque elementale habet, quod dissolubile est, nec ex se capax perpetuæ unionis cum anima rationali, utpote quæ & ipsa à corpore suo solubilis est, & post mortem, corpore relictô exanimi, superstes.

§ 48. Nunc probamus ex Aristotele, hominem (etiam primum ante lapsum, (quem quidem Aristot. ignoravit) naturâ esse mortalem. Primò, primum omnis corruptibilitatis principium est materia, hoc docente Arist. locô non uno, præcipuè *l. 2. de ort. int. c. 9. t. 51. lib. 1. de Cœl. ca. ult. t. 136. &* *l. 7. Metaph. t. 22. & 53.* ubi δύναμιν τῆς ἀντιφάσεως h. e. potentiam contradictionis materiæ tribuit, h. e. talem potentiam, qua materia est proclivis ad esse & non esse, h. e. ad ortum & interitum rerum. Suppeditat igitur nobis Aristot. hoc argumentum: Quidquid constat materiâ Physicâ, id est corruptibile per naturam. Sed omnis homo (etiam primus ante lapsum) constat materiâ physica. Er. O. homo (etiam primus ante lapsum) est corruptibilis per naturam.

§. 49. Deinde, docet Aristot. omne constans ex contrariis esse corruptibile, *lib. 3. Phys. t. 47. lib. 1. de Cœl. ca. 3. t. 21. lib. de Mun. ca. 5. lib. de long. & brev. vit. c. 3.* & *in libb. de Ort. inter.* passim. Subsumas de homine primo ante lapsum; & seqnetur Conclusio; hominem primum (sive Adamum) ante lapsum fuisse mortalem per naturam. Imò quidquid sit de Aristotele, irrefragabile principium physicum est: *Omne constans ex contrariis est corruptibile.* Minor argumenti nullâ indiget probatione. Quid enim notius, quid manifestius est, quàm hoc, corpus humanum esse elementare, sive ex contrariis elementis conflatum.

§. 50. Denique, quia homo è viventium est numero, omnem hominem, etiam primum ante lapsum, naturâ mortalem

talem

talem fuisse consequitur. Et probatur hoc insuper ex *l. 2. de an. ca. 2. t. 14. & t. 48.* item *l. 3. de an. ca. 12. t. 59.* ubi hæc habentur effata: *Omne vivens quàm diu vivit, nutritur, & alimentô privatum esse nequit.* it. *omne vivens vim nutriendi habet à generatione usq; ad mortem.* Hinc, *omne indigens cibô est mortale, l. 3. Metaph. c. 4. t. 15.* At verò etiam primus homo ante lapsum indigebat cibô, neque privatus esse poterat alimentô, &c. Er. primus homo ante lapsum erat mortalis.

§. 51. Ad Scripturam S. progredimur, idem exinde probantes. Poterat id deduci & evinci ex *Matth. ca. 10, v. 28.* ubi Salvator ait: *nolite timere eos, qui corpus occidunt,* &c. Non enim potest naturaliter occidi corpus, nisi quod ex se suâque naturâ corruptibile & mortale est. Verùm in præsentiarum similibus aliisque locis missis, ad primos regredimur fontes, & provocamus ad arborem vitæ, *Genes. ca. 2, v. 9.* & *ca. 3, v. 22.* descriptam; unde fluit argumentum: Cuicunque ad vitam perpetuandam datum medium externum, ille naturâ suâ mortalis. Sed homini primo ante lapsum ad vitam perpetuandam datum medium externum. Er. homo primus ante lapsum naturâ suâ erat mortalis.

§. 52. Accedunt Dd. Theologorum interpretamenta. Commune est, quòd ajunt, *arborem vitæ hac fini datam fuisse primis parentibus, ut conferret immortalitatem sive vitam perpetuam.* Hinc: quidquid, sive quodcunque donum homines primi obtinere debebant ex arbore vitæ, illud non habebant per naturam & ex se. Sed donum immortalitatis primi homines obtinere debebant ex arbore vitæ. Er. donum imortalitatis primi homines nō habebant per naturam & ex se. Non igitur naturâ immortales erant primi homines, sed naturâ mortales, & ex speciali gratia atque privilegio immortales.

§. 53: D. Gerhar. 6. 2. *Com. in Gen. p. 51.* inter alia hæc habet: 3. *non solùm consumtum humorem naturalem restau-*

rásset,

râsset, (scil. arbor vitæ) *sed etiam deperditum redintegrâsset.* Consumtus igitur fuisset humor naturalis in primis parentibus, etiam in statu innocentiæ? In statu igitur illo homo suâ naturâ caducus fuisset, siquidem arbor vitæ ob id data, ut restauratione humidi radicalis à morte præservâsset, vitamque conservâsset. Idem *in Disp. Isag. 22. c. 9. §. 20. rectius,* inquit, *sic dicta statuitur hæc arbor* (arbor vitæ) *ab intrinsecâ facultate vitam hominis à senio, morbis & morte conservandi ad naturalem terminum, in quo sine dolore & morte in vitam æternam fuisset translatus,* &c. Senium ergo, morbi, & tandem mors invasissent & corrupissent hominem, nisi data fuisset arbor illa, vitæ præservativa & conservativa? Arbori igitur isti adscribenda immortalitas primi hominis ante lapsum, neutiquàm ipsi9 naturæ; secundùm hanc igitur fuit mortalis.

§. 54. Majoris lucis ergò sequentes struimus syllogismos: 1. In quocunque corpore vivente humor naturalis est consumtibilis, illud naturâ est caducū & mortale. Sed in primo homine, vel in corpore primi hominis ante lapsum humor naturalis erat consumtibilis. Er. corpus primi hominis ante lapsum naturâ erat mortale, & ex consequente ipse homo primus ante lapsum naturâ erat mortalis. 2. In quocunq; vivente corpus ob absumtionem humidi naturalis est mutabile, illud vivens naturâ suâ est mortale. Sed in homine ante lapsum, corpus ob absumtionem humidi naturalis mutabile fuisset. Er. homo ante lapsum naturâ suâ fuit mortalis. Major constat: sicut enim vita est in calido & humido, ita mors naturalis in frigido & sicco, uti Arist. *lib. de long. & brev. vitæ,* & *de juven. lib. sen.* docet. Minorem suggessit nobis B. Gerhardi (quæ & aliorum quoque est Theologorum) interpretatio.

§. 55. Denique, accerso commune illud Doctorum interpretamentum, ex P. Lombardo quod petunt, dicentes, ita vel taliter per arborem vitæ datam fuisse primis hominibus im-

mortalitatem, quòd datum illis fuerit ***posse non-mori***, non verò, quòd datum ***nonposse mori***. At verò posse non-mori non tollit de homine mortalitatem propriè, sed actum moriendi tollit, qui potentiam moriendi supponit & relinquit in subjecto. Quia igitur per arborem vitæ non datum τὸ nō posse mori, sed tantummodò τὸ posse non-mori; naturalem moriendi potentiam sive mortalitatē in primis hominibꝰ ante lapsum fuisse consequitur. Vel, colligas sic: si immortalitas illa, quam præstabat (præstare debebat, vel data fuerat) arbor vitæ, non tollit potentiam moriendi, sed ponit (confert) tantùm potentiam non-moriendi, reliquit sanè in hominibus (tàm primis, quàm aliis ex ipsis per naturalem propagationem descendendis) potentiam moriendi, adeoque naturam humanam de se mortalem. Naturâ igitur mortales fuêre primi homines in statu innocentiæ.

Theorema IX.

Idem interitus hominum, qui pecudum.

§. 56. Ita in *Eccles. 3, v. 19. Unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utriusq; conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo* (quantum ad hoc scilic.) ***jumento amplius vel præstantius. Cuncta subjacent vanitati***, vel, ***omnia sunt inania***. Not. autem, dici ***eundem hominum & pecudum interitum***, quantum ad rem, sive, quantum ad genus, non verò quantum ad speciem sive specialem modum, qui variat, aliusque in homine est, alius in brutis. Horum enim animæ unà cùm corpore intereunt; sunt enim materiales, & in esse suo à materia dependentes; hominis verò anima, nimir. anima rationalis, à corpore separatur, separataque seipsâ existit, quippe incorruptibilis & immortalis; à materia enim sive corpore suo independens est, tàm quà fieri & esse, quàm quà operari.

§. 57. Non aliter, ac sicut cum animantium ac hominis gene-

generatione se res habet. Unus idemque eorum ortus est; una eademque utrisque data benedictio; *crescite & multiplicamini* æquè fuit dictum brutis, ac hominibus. Una, inquam, eademque benedictio, unus idemque ortus hominis animantium cœterorum quantam ad rem, & quantum ad gen9, non verò quantum ad speciem seu specialem modum. Hic enim variat. Bruta siquidem generantur ita, ut ipsorum animæ è potentia materiæ educantur, homo verò, ut ipsius anima, anima quippe intellectualis, extrinsecùs ei detur & inspiretur, ceu in *Genes. c. 2, v. 7. Eccles. 12. v. 7.* docemur. Sed de hoc negotio inferiùs de professo.

§. 58. Idem docet Aristot. *lib. de lon. & br. vit.* item *l. de juvent. & sen.* (1.) In *illius c. 3.* tradit 1. *omnia quæ intereunt, habere contrarium*, & 2. *id quod materiam habet, contrario non carere*; *& seq. c. 4.* ait 1. *omne animal naturâ humidum calidumque esse*, 2. *calidam humiditatem vitæ ac incrementi causam existere*; 3. *calorem naturalem materiam, in qua est*, (intelligit autem humidum) *consumere*. (2.) In *hujus ca. 4.* ait 1. *animalium partes, dum vivunt, calidas apparere; dum mortua, contrà*, h. e. non calidas, sed frigidas esse; 2. concludit, ajens: *necesse itaque est, vitam & incolumitatem hujusce caloris, item mortem & ejusdem* (caloris) *corruptionem simul esse*.

§. 59. Hinc argumentamur ex Arist. 1. quæcunque eandem corruptionis causam habent atque principium, illa æquè & eódem modô (generali, nempe solutione calidi & humidi) corrumpuntur. Atqui homo & animantia bruta eandem corruptionis causam atque principium habent, nempe materiam contrariis affectam. Er. &c. 2. In quibus æquè est calidi & humidi nativi corruptio, illa eundem habent interitum, ex dd. ll. Aristotelis. Sed tàm in hominibus, quàm in brutis æquè est calidi & humidi nativi corruptio. Er. homines & bruta eundem habent interitum.

§. 60. Sed inquis, Aristotelem non describere illum

T 2 homi-

hominis & animantium reliquorum interitum, quem Scriptura S. nominat. Dicit hæc, *hominem reverſurum in terram, unde ſumtus ſit*, &c. De hoc verò nihil Ariſtot. Reſp. 1. quamvis non deſcribat eodem modô, eisdemve verbis, rem tamen eandem ſuâ phraſi, ſeu ſuo loquendi modô exponit. 2. duplex hominis ortus; (1.) à principio factus eſt homo ſecundùm corpoream molem ex terra; atque ex hac prima rerum geneſi fluimus omnes, illamque naturam (nempe terrenam) nobiſcum deferimus, (2.) nunc verò noſtrûm quilibet è parentibus gignitur. Hinc Scriptura S. taliter de morte hominis loquens, primum ejus ortum reſpicit, (*ex terra*, &, *in terram*) qui quia Ariſtoteli fuit ignotus, ideò taliter de morte hominis loqui ipſi datum non fuit. 3. Quia terra in formatione hominis potiſſima materia, vel potiſſima materiæ pars erat, (non enim excludenda reliqua elementa) ut Scriptura inde hominem *terrenum* dicat, *1. Corin. 15, v. 47.* & *Sapient. 7, v. 1.* (*ſum & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus eſt*, ſive, *primùm creato terrigenâ prognatus*; ἴσος ἅπασι, καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου.) ideò terræ mentionem in interitu hominis deſcribendo facere voluit, non, ut reliqua excluderet elementa, ſed, ut primæ originis deſcriptionem reſpiceret. Habetque hîc locum trita illa regula Philoſophica: *à potiori fit denominatio, à terra terrenus*, &c.

§. 61. Hæc, ſiquidem ſpecialia ſunt, & non niſi per revelationem cognita, quamvis non tetigerit Ariſtoteles deſcribendo hominis & animantium interitum; alia tamen, quæ in hanc rem ſunt, proponit. *Lib. 4. Meteor. c. 4.* ita tradit: *animantes* (inter quos eſt homo quoque) *in terra & aqua ſolùm ſunt, in aëre autem & igni minimè, propterea, quòd terra & aqua corporum materies exiſtunt.* Et *l. 2. de or. int. c. 8. t. 49.* *terra quidem ideò cunctis ineſt*, inquit, *quòd unumquodq; maximè*

ximè & utplurimùm in proprio terræ loco exiſtit. Quando igitur Ariſtot. docet, dicitque, omnia reſolvi in ea, ex quibus conſtant, dicit autem ſæpiſſimè; procul omni dubio dicit, hominem maximè reſolvi in terram, quòd maximè ex ea conſtet, quippe in qua, ut propriô locô & domiciliô degit. Quid verò hoc aliud eſt, quàm hominem reſolvi ſive reverti in terram, unde factus eſt? Quamvis, uti dixi, primæ formationis modus Ariſtoteli incognitus fuerit. Et ſicut Scriptura S. ſuo hanc rem proponit modô, ita Ariſtot. quoque. Modò non pugnent. Id quod h. l. obverti non poteſt.

Theorema X.

Homo Deum colat ſeu honoret.

§. 62. In Scripturis SS. hæc res ſatis clarè propoſita eſt. De Ariſtot. videamus modò. *Honor,* inquit ille *l. 7. Eud. ca. 10. Deo & naturâ principi tribuitur à ſubjectis.* Imò non ſatis dignum Deo exhiberi poſſe honorem docet. *Neq;*, ait *l. 8. Ethic. ca. ult. quod pro dignitate ſit, in omnibus eſt: ſicut in honoribus, qui Diis* (vulgari modô loquitur) *aut parentibus exhibetur. Nemo enim referre his dignum poteſt, ſed qui pro viribus colit, is probus videtur.*

Theorema XI.

Homo Deum beatum prædicet, ſeu ſupra modum laudet.

§. 63. In Scripturis SS. hæc quoque res certa eſt. Ariſtotelem audiamus. Docet id *l. 1. Ethic. c. 12.* ubi non vult Deos laudari eo modô, quo laudantur ea, quæ qualitate ſunt affecta, aut ad aliud referuntur, cum nihil horum Diis (Deo) conveniat. *Deos*, inquit, μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, h. e. *beatos & felices prædicamus.*

Theorema XII.

Homo Deum timeat.

§. 64. Docet id Ariſtot. *l. 1. M. M. ca. 21.* ubi *non fortem,*

sed dementem dicit *eum, qui adeò intrepidus, ut nihil timeat.* Cum autem, docente Aristot. *l. 1. Oecon. c. 6. timor* duplex sit; *filialis*, qui conjunctus est cum amore, qualis est proborum liberorum erga parentes; & *servilis*, qui cum alienatione animi & odio conjunctus est; priori timoris modô hominem debere timere Deum, non verò posteriori, Aristotelis sententia est, ceu quilibet facilè divinare potest.

Theorema XIII.

Homo recta & honesta agat.

§. 65. Maximè, quòd Deus maximè colatur rectè agendo. Quâ enim re Deo maximè efficimur chari, in illa potissimùm Dei cultus consistit. Talis autem res est rectè & honestè faciendi studium, uti docet *Aristot. l. 10. Ethic. c. 9.* cui qui incumbunt, à Deo quoque redhostimenti locô bona expectare habent, docente *Aristot. 2. M. M. ca. 8.* De Scripturis S. S. res liquida est, ideoque ex ea nihil apponimus.

CORONIS.

Semen est quodammodò omnia.

1. Ad generationem hominis spectat ista propositio. Not. autem 1. quòd *semen* dicitur *omnia* respectu eorum, quorum est principium, & quæ ab ipso propendent. Not. 2. quòd dictum: *quodammodò*. Non enim semen est omnia, quæ sunt in genito, actu & simpliciter, sed potentiâ. Id quod Arist. in multis docuit locis, maximè *l. 1. gener. anim. c. 17. 18. & 19.*

2. Cum autem *dupliciter* possit intelligi, *semen* (suo certô modô) *esse omnia*; nimir. *vel* respectu speciei, *vel* respectu individuorum; *respectu speciei*, quæ propaganda; *respectu individuorum*, quæ generantur, & generando multiplicantur, ad speciei propagationem, vi Benedictionis Divinæ, *Genes. ca. 1.* uterque sensus locum invenit, quamvis Philosophus noster posteriorem tantùm intenderit, ceu ex locis allegatis videre est. Inquit enim *ca. 18. seminis autem partem aliquam*

dici

dici nervum esse, aut os, longè plus est, quàm ut noster sensus assequi possit: sed quale quodcunque illorum (nempe ossium, nervorum, &c.) *est actu, tale semen est potentiâ*, &c. Juxta Arist. igitur semen est corpus & omnia corporis membra potestate.

3. Cùm verò adhuc *dupliciter* possit intelligi, *semen quà generationem esse omnia potestate*; nimirum *vel* potestate efficiendi, *vel* potestate fiendi, respectu duplicis seminis, nimirum γονῆς masculinæ, & ὕλης fœmininæ, seu ratione menstruorum, quæ fœminæ pro materia fœtus generandi suppeditant; ideò (1.) *quà semen masculeum*, ejus vis est accedere ad omnia, h.e. Semen est, quod habet vim efficiendi membra omnia animantis, quomodo in semine humano potentiâ sunt omnes partes hominis, quia illud omnes natum est facere; in equino eâdē ratione sunt omnes partes equinæ, quia eas potest efficere: (2.) *quà semen fœmineum* verò, ejus δύναμις seu potentia est, fieri ex ipso corpus & omnia corporis membra, eo modô, quô 1. ex materia materiatum effici fierique solet; 2. quô cuilibet speciei conveniens est.

4. Imò non solùm est differentia seminum, secundùm differentiam speciei, ut ex humano humanum, & ex equino equinum corpus fiat & equini corporis membra; verùm quoque ratione individuorum, vel singulorum, quæ generantur; quomodo semen hujus hominis (Petri) natum est accedere ad partes alterius hominis (Pauli) potiùs, quàm ad cujusvis alius. Pulchrè hoc docuit Arist. *l. 1. gener. anim. c. 18.* inquiens: *fit hoc ex hoc, quia semen ejus est*. Istam autem vim semen accepit ab anima vegetativa generantis potiùs, quàm à corpore. Omnes enim effectivæ facultates à forma fluunt, passivæ à materia. Quod ergo effectivum est in semine, id ab anima est, & quod generat, secundùm animam potiùs generat, intellige, secundùm eam, quæ generativa est, qualis est vegetativa, *l. 2. de an. t. 49.* generari verò à corpore formando primùm incipit, siquidem id pati est & accipere.

5. Hinc

5. Hinc consentaneum esse perspicimus, ut vis effectiva potiùs deferat & transferat ex generante ea, quæ illi secundùm animam insunt, quàm quæ secundùm corpus, eaque in corpus potiùs deferat, quàm in animam. Corpus enim, quantum ad hoc, & animæ susceptivum est, & eorum, quæ tùm in anima sunt, tùm ab anima propendent, uti ex Arist. constat. Et quidquid est hujus rei, omne id acceptum ferendum semini, tanquam generationis medio, unde etiam hoc prædicatum accepit, quòd *quodammodo omnia esse* dicitur.

6. Obtinet quoque & alter propositionis sensus §. 2. expositus, siquidem semen, quòd πρώτως seu primò speciei est, sive speciei datum, ad ejusdem propagationem, ceu *in Genes. ca. 1.* edocemur, etiam, quantum ad hoc, est omnia. Jung. *Genes. 22, v. 17.* & *Exod. 32, v. 13.* Ut haut incommodè dicas, semen esse quodammodo totam speciem, est siquidem medium propagandi & conservandi eam, efficiendo & progenerando plura individua. Huc pertinet, quòd singuli ab Adamo descendentes, in ejus lumbis fuisse dicuntur. Non alia de causa, quam eâ, quia Adami semen, sive ipsius propago sumus, & ab ipso descendimus secundùm seminalem rationem.

7. Quò pertinet quoque, quòd immundum semen dicimur. *Quis dabit mundum de immundo? Job. 14, v. 4.* Nimirum omnia, quæ attinent speciei propagationem, ea præstat semen in hoc Naturæ statu; quamvis diversimodè. Sic semen in statu innocentiæ præstitisset liberos sanctos & justos, hodiè verò post lapsum præstat injustos & peccatores, *d. Job. 14, v. 4. Psal. 51, v. 6.* Sic semen fortis & generosi præstat fortis & generosos, quod & *Physicè* acceptum & *Politicè*, inpræsentiarum obtinet.

8. *Physicè*, juxta tritum & scitum illud Horatii:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem
progenerant aquilæ Columbam.

9. *Politicè*, ceu seq. exponitur metrô:

Laus est creari splendidis majoribus.
Non tàm decorum, genere prognasci bonô,
Quàm turpe avorum gloriam indecentibus
Fœdare factis, obruisse ignaviâ.

10. Omnium optimè utrumque seq. exponitur distichô:

Transit & in natos vis & natura parentum,
Et retinet generis semina quisque sui.

FINIS.

DISPUTATIO V.

exhibens

Sectionem Tractatus quartam,

& hoc ipso

Psychologiam Aristotelicam cum Scriptura S. consentientem.

§. 1.

IN limine sciendum est, rem atque tractationem tantùm esse de *Anima Rationali*, quam Aristot. Νοῦν seu *Mentem* appellitare solet, *l. 12. Metaph. c. 3. t. 17. l. 2. gen. anim. c. 3.* & alibi. Quia verò multa sunt, quæ sese nobis consideranda hîc offerunt, ideò distinctis Theorematibus ea includemus.

Theorema I.

Anima Rationalis est substantia immaterialis, vel, quod perinde est, est Spiritus.

§. 2. *Substantia* enim *immaterialis*, ceu Philosophia exponit, non est alia, quàm *Spiritus*, ut etiam promiscuè usurpentur *substantia immaterialis* & *substantia spiritualis*. Et quam Philosophia *substantiam immaterialem* dicit, eam Scriptura S. nomine *Spiritus* dignatur, *Genes. 2. v. 7. Eccles. 12. v. 7. Psal. 31. v. 6. Luc. 24. v. 46. Matth. 27. v. 50. Johan. 19. v. 30. Luc. 8. v. 55. Actor. 7. v. 59.*

§. 3. Sed de Scriptura S. res satis nota atque manifesta est. De Aristot. insuper videamus. Docet is *l. 3. de anim. t 5.* & *l. 2. de gen. an. c. 3.* quòd *Mens* (anima rationalis) talis sit substantia, vel taliter se habeat *in operationibus suis, ut cum ejus actione nihil communicet actio corporalis*. Inde datur argumentari: quidquid (quæcunque substantia cognoscitiva) præter corporea & singularia etiam incorporea atque uni-

versalia cognoscit, neque ad hoc ullo organô corporeô indiget, id utique immateriale est; cum nativus atque intrinsecus operandi modus modum essendi arguat. At verò anima rationalis est ejusmodi quid, sive, est ejusmodi substantia cognoscitiva, &c. Er. anima rationalis est immaterialis substantia.

§. 4. Et quia Anima Rationalis in operando à corpore non dependet, vel, uti est apud Philosophum, cum actione corporis non communicat, ideò nec eam (ad modum animæ vegetantiis & sentientis, quarum actio est corporea) in materia potentiâ ipsam habente fieri, sed extrinsecùs accedere concludit, inquiens *l.d. relinquitur igitur, Mentem* (seu Animam intelligentem) *solam extrinsecus ingredi; non enim* (ratio conclusionis) *cum ipsius actione communicat actio corporalis.* Qua de re jam de professo.

Theorema II.

Anima rationalis creatur, neutiquam per traducem seminalem generatur.

§. 5. Duo continet hoc Theorema; 1. animam rationalem creari, sive creationi suam originem debere, non primam solùm, verùm quotidiè creari novas in hominum generationibus; 2. animam non fieri per seminalem traducem, vel, quod idem est, non oriri per generationem. Primum tàm in Scripturis SS. quàm in Philosophia Aristot. certum & decantatum esse, palam faciemus.

§. 6. Primus & primarius Scripturæ locus est *Genes. ca. 2. v. 7.* ubi dicitur, quòd *Deus Adamo inspirârit spiraculum vitæ.* [וַיִּפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים] Ubi duo consideranda; 1. *spiratum* & inspiratum, quod hîc dicitur *spiraculum vitarum,* alibi dicitur *spiritus* hominis; spiritus autem ille nõ est alius, quàm anima rationalis hominis, (ceu ex antec. Theor. §. 2. patet.) per quam Adam factus dicitur in animam viventem, uti

Scriptura loquitur, h. e. actu factus homo, uti Philosophia exponit.

§. 7. Objicis verò duo; 1. non dici creatam animam, sed inspiratam; 2. dici id de prima seu primi hominis anima, id quod non trahendum videtur ad alias animas. Verùm Resp. ad 1. non ad verba, sed ad rem respiciendum. Omnes Sacri Interpretes in eo consentiunt, per *inspirationem Animæ* (rationalis) notari ejus originem. Inde ita discurrimus: Anima Adami orta fuit aut per creationem, aut per generationem; tertium enim non datur, uti alibi monstratum. Non verò orta fuit per generationem; quæ enim per generationem fiunt, fiunt dependenter à materia. Anima autem Adami non fuit facta dependenter à materia; est enim substantia spiritualis, à materia in esse, fieri & operari independens. Er. anima Adami non fuit orta per generationem. Relinquitur igitur, quòd orta fuerit per creationem.

§. 8. Ad 2. resp. 1. esto, illum locum intelligendum esse de anima Adami, quo modô omninò se res habet; sciendum tamen, quòd hoc ipso de cunctis cunctorum hominum animabus rationalibus accipiendus veniat, siquidem omnes animæ rationales sunt ejusdem naturæ. Ergo omnes habent eandem producibilitatis rationem intrinsecam, à Deo ipsis tributam. Omnes ergo fieri seu produci gestiunt eôdem modô. Confirmatur: Anima (rationalis) Caini (Abelis, Noachi, &c.) in esse & operari suo æquè fuit independens à materia, atque fuit Anima Adami. Er. æquè fuit independens à materia in fieri seu produci. Vel, fiat syllogismus h. m. quæcunque animæ in esse suo sunt independentes à materia, illæ quoque in fieri sunt independentes ab eadem, adeoq; non nisi creatione producuntur, quando producuntur. Sed cunctorum hominum animæ (de rationalibus intellige) in esse suo sunt independentes à materia. Er. cunctorum ho-

minum animæ ſunt independentes à materia quà fieri, adeo que non niſi creatione producuntur, quando producuntur.

§. 9. Reſp. 2. Inde factum, quòd tàm à Theologis, quàm à Philoſophis nonnullis definita fuit *anima rationalis*, quòd *ſit ſubſtantia (eſſentia) ſpiritualis, creata (ex nihilo condita) à Deo, altera ac potior hominis pars, quæ non extinguitur, cum à corpore diſcedit, ſed eſt immortalis.* Annon inde inferre licet de mea, de tua, imò de cujuscunque hominis anima: Er. anima mea eſt ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata; Er. anima tua eſt ſubſtantia ſpiritualis à Deo creata. Omninò ita inferre licet; Cui enim definitũ competit, eidem & definitio.

§. 10. Reſp. 3. Scriptura S. alibi eodem modô, eâdem phraſi deſcribit ortum cunctarum animarum. Dictum Geneſeos repetitur *Sapient. c. 15. v. 11.* ubi ſic: *quoniam ignoravit homo, qui finxit ſe, & qui inſpiravit illi animam, quæ operatur, & qui inſufflavit ſpiritum vitalem.* Jung. *Jobi cap. 33. v. 4. Spiritus Dei fecit me, & ſpiraculum Omnipotentis vivificavit me.* Hæc dicta, S. ex Geneſi transſumta, non loquuntur de primo hominis (animæ humanæ) ortu, ſed de ortu, ita loquendo, ſecundo, ſeu poſt primum hominem. Verbô: de ordinariâ hominis generatione loquuntur.

§. 11. Hiſce dictis accedunt alia, inter quæ celeberrimum eſt illud *Ecclеſ. 12. v. 7. ſpiritus* (h. e. anima noſtra) *redit ad Deum, qui dedit eum.* Inde rectè argumentaris: ad quem redit ſpiritus ſive anima noſtra immediatè, ille quoque eandem dedit immediatè. Sed anima noſtra redit immediatè ad Deum, utpote qui ſuſcipit eam, *Pſal. 31. v. 6. Actor. 7. v. 59. Tobiæ 4. v. 3.* Er. Deus animam noſtram (puta, animam rationalem) dedit immediatè. Hæc autem datio non eſt alia, quàm divina illa inſpiratio, *Geneſ. ca. 2.* deſcripta. Alia plura Scripturæ S. dicta vid. in Diſſert. noſtr. de Anim. Rat. Product. ſect. 1.

§. 12. Ea-

§. 12. Eadem quoque Aristot. fuit sententia. Is *l. 2. de*
gen. animal. c. 3. differentiam ponens inter animas, statuit,
animam vegetativam & sensitivam ingenerari suis corpori-
bus, quòd in agendo sive operando communicent cum a-
ctionibus corporis, *Mentem* verò (sive animam rationalem)
non ingenerari fœtui, sed θύραθεν ἐπεισιέναι, h. e. *forinsecùs in-*
gredi, vel *extrinsecus immitti*, ratione additâ, *quòd ipsius actio*
nihil communicet cum actione corporis. Syllogismus emergit
hic: Illa anima, cujus actio seu operatio non communicat
cum actione corporis, non ingeneratur fœtui, quomodo in-
generantur animæ, quarum actiones communicant cum a-
ctione corporis, sed extrinsecùs accedit corpori. Atque ani-
ma rationalis est talis anima, cujus actio non communicat
cum actione corporis. Er. anima rationalis non ingenera-
tur corpori, sed extrinsecùs ei advenit.

§. 13. Jam autem non potest intelligi aliunde venire &
ingredi anima nostra corpus humanum, ad ejus receptio-
nem à causa generante dispositum, quàm immissa à Deo,
quamvis hoc ipsum Aristot. disertis verbis non expresserit.
Sufficit, quòd intenderit, seu voluerit, animam rationalem
extrinsecùs ingredi, & immediatè immitti in corpus, secus
ac est cùm cæteris animabus, quæ mediatè (mediante tùm
materiâ, tùm causâ generante) fiunt à Deo, & à parenti-
bus fœtui ingenerantur. Pulchrè hanc rem proposuit
B. Philip. Melanchth. *in lib. de an. p. m. 38.* ut vel Aristotelem
per Mosen, vel hunc per illum videatur explicuisse, dum
scribit: *adflatur anima* (rationalem intelligit) *hominibus fa-*
ris; & tale spiraculum est, in quod (Deus) *transfudit suæ lucis,*
ut ita dicam, radios, &c.

§. 14. Addamus quoque, quæ pulchrè & eleganter hac
ipsa de re scripta nobis reliquit Fr. Vallesius *in S. Philos. c. 4.*
p. m. 60. verba Sacri Historici *magnum continent naturæ arca-*
num.

V 3

num. Indicant enim apertè, illud quod tantoperè inter Philosophos controversum est, hominis animam non esse eductam ex materiæ potentia & fœcunditate, velut animas irrationalium, sed extrinsecùs accessisse, (utitur phrasi Aristot.) *naturæ immaterialis participem: non quidem nascentem intrinsecùs ex materia,* (quod Aristot. verbô ἐγγίνεσθαι exprimit) *sed divinâ vi extrinsecùs in illam* (materiam) *immersam, & mirabili quodam modô ei alligatam.* &c.

§. 15. Qua in re hoc observatu dignum putamus, quòd Aristoteles, loquens de generatione hominis, animam rationalem, tanquàm formam specificam animæ sensitivæ & vegetativæ, tanquam formis communibus; Vallesius verò animam rationalem, tanquàm formam specificam hominis, animabus specificis aliorum animantium contradistingvat. Duplex enim, quantum ad hoc, observandum formarum & animarum discrimen: 1. *quædam formæ* sunt *communes*, *quædam propriæ; communes* sunt, quæ ad plures pertinent species, quales formæ sunt anima vegetativa & sensitiva, quarum hæc in omnibus animalibus, illa in omnibus viventibus locum habet. *Propriæ* verò formæ sunt formæ specificæ, quæ soli alicui speciei conveniunt, uti anima hominis homini, anima canis cani, anima alaudæ huic avi, & non alii. &c. 2. *Formarum propriarum* seu specificarum *quædam* sunt *materiales*, *quædam* sunt *immateriales; immateriales* sunt solæ animæ humanæ, seu animæ rationales, reliquæ omnes (specificæ) sunt materiales, h. e. à materia quà esse, fieri & operari dependentes. Sed hac de re alibi fusiùs.

§. 16. Hinc patescit alterum in Theoremate propositum, nimirum *animam rationalem non oriri ex traduce seminali*, vel, quod idem est, non oriri per naturalem generationem. Ubi missâ variâ vocis (Tradux) acceptione, nos eam in præsentiarum pro effectivâ communicatione sumimus, qua vir-

tute

tute ſeminis genitalis, ex ſubſtrata materia aliquid efficitur, & genito, tanquàm ei ſecundùm ſpeciem conveniens, communicatur, quomodo animæ brutorum traducuntur, quomodo item ſtructura & figura humana traducitur in hominem, qui gignitur. Hæc autem traductio, ſive traductio ſic explicata, quantum ad rem, non eſt alia, quàm eductio, quamvis, ob diverſam conſiderationem, diverſam quoque ſortiatur appellationem.

§. 17. Sed argumentamur ſic: ſi anima noſtra creationi debet nativum ſuum ortum, ceu tàm ex Scriptura S. quàm ex Ariſtot. probatum dedimus, ſequitur, ortum ejus non adſcribi poſſe aut debere ſeminali traduci, aut generationi, qua ex potentia ſeminis aut ſangvinis materni educatur, & educta in ſobolem traducatur. Deinde, ſic argumentamur: quæcunque anima non moritur in & cum corpore, nec illa oritur in & cum corpore. Sed anima rationalis non moritur in & cum corpore. Er. nec ipſa oritur in & cum corpore. Minor tàm ex Scripturis, quàm ex Ariſt. nota eſt. Ex illis; *Matth. 10, v. 28. Eccleſiaſt. 12. v. 7. Tob. 4. v. 30.* &c. ex hoc; ſiquidem animam hominis ſtatuit à corpore ſeparabilem, *lib. 1. de anim. t. 13. lib. 2. de an. t. 21. lib. 3. de an. c. 4. t. 7.* Majoris fundamentum eſt in independentia animæ hujus à corpore. Unde, ſi anima noſtra non moreretur in & cum corpore, oriretur autem in & cum corpore, ipſa partim immaterialis eſſet & partim materialis, quod eſt abſurdum.

Theorema III.

Anima Rationalis eſt (θεῖόν τι) divinum quidpiam.

§. 18. Ariſtoteles hoc traditum reliquit multis in locis, nempe *lib. 1. de an. ca. 4. t. 66. l. 3. de an. c. 5. t. 20. lib. 2. de gen. anim. c. 3. lib. 12. Metaph. c. 7. t. 39. lib. 10. Ethic. Nic. ca. 7.* Ex quorum locorum inſpectione & collatione pateſcet, non uno nomine Animam intelligentem Divinam, vel Divinum quid

quid habitum fuisse Aristoteli sed 1. *ratione substantia sua*, utpote quæ *ἀπαθὴς καὶ ἀθάνατος*, *ll. dd.* item *νοητικὴ* est, imò ipsa *Mens* seu *intellectus*, & in hoc Deo immortali similis; 2. *ratione originis suæ*, siquidem forinsecùs accedit, *l. 2. gener. anim. c. 3.* Ubi notatu quàm dignissimum est, quòd utrumque in uno contextu conjungit Aristot.. *restat igitur*, inquiens, *quòd mens sola forinsecùs accedat, eaq; sola Divina sit*, quippe divinitùs data. 3. *ratione operationum*, quibus ad Deum accedimus, ipsique similes reddimur, de quo vid. *Disp. antec. Theor. 2. §. 20. 21. & 22.*

§. 19, Idem hoc Sacra nos docet Pagina. Quando enim legimus *Genes. ca. 2. v. 7.* quòd Deus homini inspirârit spiraculum vitæ, nihil aliud, quàm substanria à Deo homini inspirata significatur. Talis autem substantia annon Divinum quidpiam? Quæcunque substantia (quicunque halitus) à Deo immediatè homini inspiratur & inspirando inditur, illa substantia (ille halitus) verè est divinum quidpiam. Sed anima nostra rationalis est ejusmodi substantia, (est ejusmodi halitus,) à Deo nobis inspirata, & inspirando indita. Er. anima rationalis est Divinum quidpiam.

§. 20. Omnium optimè hoc expres sit optimus Geneseωs Exegeta, D. David Chytræus in suo comm. p. 73. his verbis: *Etiam cæteris animantibus indidit Deus spiritum vitalem, qui per totam corporis machinam devehit calorem vivificum, & omnibus membris impertit vim exercendi actiones animales: sed præter hunc spiritum vitalem, communem cum pecudibus, & intereuntẽ unà cum corporibus, adflavit Deus hominibus animã rationalem, quæ est substantia spiritualis viva, creata à Deo ad imaginem ipsius, id est, intelligens, libera & iusta, quæ est pars substantiæ hominis, nec extingvitur, cum è corpore hominis discesfit, sed est immortalis, &c.* Et pergit: *hæc enarratio verborum, inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, sumpta est*

ex

ex his dictis, Actor. 7. Domine Jesu, suscipe Spiritum meum; Genes. 1. Creavit Deus hominem ad imaginem suam; Matth. 10. animam non possunt occidere, &c. Ut enim Christus adflans Apostolos, impertit illis Spiritum suum sanctum, ita Deus adflans hominibus animam extrinsecus, simul suæ lucis & vitæ radios in eam transfundit, quæ non est moles corporea, sed halitus cælestis & divinus. Unde etiam Ethnici quidam sapientes dixerunt, animam esse divinæ particulam auræ. Et Hebræi vocabulum נשמה *derivant à* שמים *à cælo, quòd sit spiritus de cælo seu à Deo ortus.*

Theorema IV.

Anima rationalis est anima hominis informans, neutiquam assistens.

§. 21. Ita nos docet Aristotelis Physica, ita quoque Scriptura Sacra. Aristotel. *l. 2. de an. t. 4. usq. ad t. 10.* item *t. 24. sq. t. 36. sq.* naturam animæ in genere investigans, talia tradit, quæ animæ quoque rationali exactè conveniunt, ceu latiùs deducit Zabarel. *l. de Ment. Hum. ca. 7.* Conf. Perer. *l. 6. de rer. nat. princip. c. 21.* Conimbr. *l. 2. de an. c. 1. q. 6.* Nos sequentia inde extruimus argumenta: Primò urgemus definitionem animæ in genere, *d. l. t. 6.* anima generatim spectata est actus primus substantialis corporis organici, &c. actus verò talis non nisi informans est. At verò sub anima ita sumtâ atque definitâ continetur quoque anima rationalis. Er. & hæc erit actus primus corporis organici humani. Er. erit quoque actus informans ejus, neutiquàm assistens.

§. 22. Deinde, principium operandi in re non est aliud, quàm forma informans, sive dans esse rei. Tale verò principium operandi est in nobis; quilibet enim nostrûm experitur, se intelligere. Necesse igitur est, inesse nobis aliquam formam, à qua dictæ operationes dimanent. Ea verò forma non est alia, quàm anima intellectiva sive rationalis.

Confirmatur Philoſophus non deſcripſit aliã animã *d. l. 2. de an. t. 26.* ajens, quòd ſit *id, quo vivimus, ſentimus & intelligimus primò*, quàm eam, quam definivit ſuperiori *t. 6.* ajens, *eam eſſe actum primum corporis organici* &c. Non aliam, inquam, animam, quamvis aliter conſideratam. Deſcribens igitur animam rationalem, quòd ſit principium intelligendi, ſive id, quô intelligimus, non aliam intendit, quàm eam, quæ eſt actus primus ſubſtantialis informativus corporis organici humani, & dans eſſe homini, quæ eſt anima rationalis, utpote quæ ſicut in eſſe eſt independens à corpore, ita & in operari. Et novimus omninò, operationes ejus, intelligere nempe & velle, eſſe independentes à corpore, neque corpori tribui, aut tribui poſſe.

§. 23. Pro hac eadem ſententiâ accerſimus alia ex Ariſtot. loca, aliaque nectimus argumenta. Primò, *l. 1. de part. animal. c. 1. circ. fin.* ſtatuit, Phyſici eſſe, agere de anima rationali, quòd ejusdem ſit, agere de materia & forma. Igitur vult, animam rationalem eſſe formam hominis. Formam autem non intelligit aliam, quàm informantem, quæ reſpicit materiam, ceu actus ſuam potentiam, ex *l. 2. Phyſ. t. 26.* Accedit porrò *l. 1. de anim. t. 53.* ubi Philoſophus ſententiam de transmigratione animarum vocat fabulas. At ſi anima rationalis eſſet aſſiſtens forma, non verò informans, non minùs poſſet ipſa transmigrare de corpore in corpus, quàm nauta de navi ad navem, auriga de curru ad currum. Imò denique notatu dignum eſt, quòd *lib. 1. Ethic. Nicom. c. 7.* beatitudinem ponit in operatione, quæ maximè ſit propria hominis, eamque ait eſſe intellectionem. Ubi, ſi anima rationalis eſſet anima ſeu forma aſſiſtens, tantum abeſt, ut intellectio ſit maximè propria hominis operatio, ut ne quidem ſit ejus operatio. Eſſet enim operatio ſubſtantiæ abſtractæ. Anima enim aſſiſtens eſt forma abſtracta à materia, minimè ei unita.

§. 24.

§. 24. Ex Sacris idem ostendimus Scripturis I. dicitur *Genes. 2. v. 7. formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventē.* Argumentamur: Qua animâ homo fit vivens certæ speciei, illa est forma informans in eo, quippe ei intrinsecè & substantialiter dans esse. Sed anima rationalis (quæ per spiraculum vitarum designatur) est talis anima, quâ homo evadit vivens certæ speciei, nimirum humanæ. Er. anima rationalis est forma informans in homine, quippe ei intrinsecè & substantialiter dans esse. Imò si anima rationalis esset tantùm forma assistens, non magis posset homo per eam vivere, quàm navis dicitur vivere per nautam, qui navi assistit.

§. 25. Accersimus II. illa Scripturæ dicta, quæ de emissione spiraculi hujus sive animæ rationalis loquuntur, ut *Ps. 31. v. 6. Luc. 23. v. 4. Matth. 27. v. 50. Actor. 7. v. 59.* Argumentamur: Quo emissô, homo desinit esse homo essentialiter, id intrinsecè & formaliter dat esse homini, adeoque est forma informans in eo. Sed emissâ (in morte) animâ rationali, homo desinit esse homo essentialiter. Er. anima rationalis intrinsecè & formaliter dat esse homini, adeoque est forma informans in eo. Minor est Scripturæ S. Major de se est evidens.

Theorema V.

Una numerô anima est in quovis homine, suntq; singulæ animæ in singulis hominibus.

§. 26. Habemus & hîc Aristotelem Scripturis SS. consentienter docentem. In *Ezechiel. ca. 18. v. 4.* inquit Dominus: *omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris, ita & anima filii. Sapient. 3. v. 1. Justorum animæ in manu Dei sunt,* &c. *Apocal. 6. v. 9. vidi animas interfectorum propter verbum Dei;* & *v. 11. datæ sunt singulis singulæ stolæ albæ,* &c. Habemus hîc singulas singulorum hominum animas.

§. 27. Imò fide credendum eſt, animas multas eſſe ad multitudinem individuorum, adeoque uumerô invicem diverſas. Si enim non ſunt tot animæ, quot homines, non poteſt eſſe diſcrimen præmiorum & pœnarum. Præmium enim æternæ felicitatis ſine dubio maximè conſiſtit in intellectu. Et. & ejus privatio. At ſi non ſunt plures animæ, ſed una omnium anima, non eſt ratio, cur hi dicantur apud inferos puniri, alii in cœlis beatitudine perfrui, cum una & eadẽ ſit anima, quæ ibi puniatur, hîc verò beatitudine fruatur.

§. 28. Unam verò cuique individuo animam Ariſtotelem quoque adſcripſiſſe, ex multis ejus locis probari poteſt. I. Secundùm Ariſtot. anima rationalis eſt forma informans hominis, uti Theor. antec. oſtenſum. At verò idem *in l. 2. Phyſ. c. 3. t. 26.* docet, unamquamque formam reſpicere propriam materiã, & aliam formam ad aliam materiam eſſe accommodatam, neque unam formam eſſe plurium materierum. II. Clariſſimus eſt locus *l. 1. de an. c. 3. t. 51. ſqq.* ubi in illos invehitur, qui de ſuſceptivo corpore (h. e. de altera parte viventis ſeu animantis) nihil dicunt & determinant, *perinde quaſi fieri poſſit, ut quævis anima ſine ullo diſcrimine quodvis corpus ingrediatur, uti Pythagoricorum fabulæ dicunt. Animantis enim cuiusq; corpus propriam ſpeciem propriamq; formam habere videtur.*

§. 29. Ubi non eſt, ut dicas, Philoſophum non loqui de forma ſeu anima individua, ſed de anima ratione ſpeciei, quòd huic vel tali animæ ſecundùm ſpeciem conveniat talis materia, ſive tale corpus. Non enim ſolùm hoc; verùm eô, ſuppoſitô quaſi, de individuo corpore, & de individua anima ipſum intelligi velle, certũ eſt, & ex ſequentibus manifeſtius evadit. 1. Quia transmigrationẽ animarũ appellat fabulas. De animabus igitur in ſingulari loquitur. Nempe ſi una eſſet anima in omnibus hominibus, moriente uno homine, & na-

& nascente alio, eadem anima desereret unum corpus, & conjungeretur alteri. Et migraret de corpore in corpus, quod Aristot. est absurdum. 2. Aristot. declarat simili. *Perinde hi dicunt*, inquit, *ac si quis artem fabrilem fistulas ingredi dicat. Etenim ars quidem instrumentis, anima verò corpore utatur oportet.* Animam igitur hanc (in individuo) aliud ingredi corpus, æquè impossibile judicat Aristot., atque architectum ad sua opera uti tibiis.

§. 30. Denique 3. optimus in hanc rem est locus *l. 1. de an. c. 2. t. 26.* ubi sic Philosophus: *Et inest* (anima) *ob hoc in corpore, atq; in corpore tali, non in quovis sine discrimine ullo, quemadmodum veteres ad corpus ipsam accommodabant, &c. at non rectè, cùm non videatur quodvis sine ullo discrimine quodcunq; suscipere. Hoc autem pactò etiam cum ratione fit sanè. Actus enim cujusq; in eo, quod est potentiâ, & in propria materia suâpte naturâ fieri esseque solet.* Nunc subsumitur: at verò anima (rationalis) hæc est actus alicujus, quod est potentiâ, s. quod potentiâ vitam habet; igitur anima (rationalis) hæc in propria sua materia, in proprioque suo corpore fieri esseque gestit, quod non est aliud, quàm corpus individuum. Est igitur, juxta Aristot. hujus numerô animæ hoc numerô corpus susceptivum.

§. 31. Jungimus locum *ex lib. Physiogn. c. 1.* ubi in initio cap. ait, *quòd animæ* (διάνοιαι, ingenia, animi, animi sensa, &c.) *sequuntur corpora*, (& corporum temperamenta,) *animosq;* (& ingenia) *hominum non esse impassibiles à motibus corporis.* Et mox: *in iis, quæ naturâ fiunt, magis utique aliquis conspiciet, quòd corpus & anima ita se habent connaturalia, ut fiant causæ plurimarum passionum adinvicem. Nunquã enim animal* (vel homo) *genitum est, quod speciem & formam* (εἶδος) *habere alterius animalis, animam* (διάνοιαν) *verò alterius, sed semper ejusdem corpus & animam, τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν. Quare necessarium*

est, consequi tale corpus talem dispositionem & formam, talemque adeò animam. Inde fluit argumentum: Ubi diversa numerô corpora diversaque temperamenta & dispositiones, ibi diversæ numerô animæ. Sed in diversis numerô hominibus diversa numerô corpora, diversaque corporum temperamenta. Er. in diversis numerô hominibus diversæ numerô animæ.

§. 32. Videtur huic Aristotelico respondere illud *Sapient. c. 15. v. 11. Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam*, (ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς) *Et bonus ipse cum essem, corpus incontaminatum adeptus fui.* Nimirum hic homo accepit, aut possidet animam bonam, iste talem non possidet, vel: hic animô est bonô & probô, ille malô & pravô; hîc (in hoc homine) anima habitat in corpore incontaminato, ibi (in illo homine) habitat in contaminato, &c. Cogitemus animam Abelis & Caini, illa bona erat & justa, hæc mala & injusta; in Salomone & Nebucadnezare; illa erat sapiens, hæc insipiens, in Paulo (post conversionem) & in Juda; illa erat fidelis, hæc infidelis. Non verò possunt habitus oppositi (simul & semel) esse in eod. numerô subjecto.

§. 33. Imò aliàs ex lumine naturæ & ex vera Philosophia cognosci potest, (sicut & exinde cognitum habuit Aristoteles) totidem esse animas, quot homines. Videt enim ratio absurda ex contraria sententia dimanantia. Nim. si in omnibus hominibus esset una eademque anima, idemque intellectus, (intellige, idem numerô,) sequeretur 1. eundē numerô intellectum eôdē temporis momentô plurima & diversissima cognoscere, quod non cadit in intellectum finitum, ut ei potiùs repugnet; sequeretur 2. eundem numerô intellectum eôdem tempore assentiri cōtradicentibus propositionibus. At hoc fieri non posse, multis disputat Arist. *l. 4. Metaph. c. 4.* imò id est contra primum principium; nemo siquidem judicat,

cat, aliquid simul esse & non esse. Sequela verò probatur: Si idem est intellectus in omnibus, idem quoque erit in me & in te. Cogitemus jam uterque de una atque eadem re, e. g. de intellectu, ego quidem affirmando, *unum numerô esse in omnibus intellectum*, tu verò negando, *non esse unum numerô in omnibus intellectum*. Nonne jam unus idemque intellectus assentiretur duabus contradicentibus propositionibus, quarum una est: *unus numerô est intellectus in omnibus hominibus*; altera; *non est unus numerô intellectus in omnibus hominibus*. Quod cum absurdum sit, illam de numerica animæ rationalis unitate sententiam absurdam quoque esse, & ex Aristot. Philosophia explodendam, consequitur.

Theorema VI.

Anima rationalis est indivisibilis.

§. 34. Patet hoc primò ex Scripturis Sacris, quæ docent, animam nostram rationalem esse Spiritum, *Psal. 31. v. 6. Actor. 7. v. 59.* & alibi. Spiritus verò est substantia immaterialis, adeòque indivisibilis. Id quod patet ex *Matth. cap. 22.* ubi reprehenditur error Sadducæorum, qui negabant Angelos & Spiritûs, qui negabant omnem substantiam immaterialem & indivisibilem, quapropter etiam negabant immortalitatem animæ, uti tradit Josephus *l. 18. antiquitat. c. 2.* & Div. Hieronymus *in cap. 22. Matthæi.* Imò inde Christus Salvator noster duxit argumentum ad probandam suã resurrectionem, *palpate & videte*, inquiens, *quia Spiritus carnem & ossa non habet*, eô nimirùm, quòd Spiritus sit substantia quædam immaterialis & indivisibilis.

§. 35. Ex mente quoque Aristotelis anima nostra est indivisibilis. Probatur ex *l. 3. de an. c. 4. t. 6.* ubi docet, *animam rationalem esse immixtam & minimè dependentem à materia.* At verò *l. 12. Metaphys. t. 51.* probat, *omne quod caret materiâ, esse indivisibile*, uti sunt Deus & Intelligentiæ, quo

locô,

locô docet, eôdem modô ſe habere intellectum. Er. & hic eſt indiviſibilis.

§. 36. Imò ſecundùm veram Philoſophiam anima rationalis eſt indiviſibilis, ſiquidem eſt forma immaterialis. Talis autem forma non eſt, nec poteſt eſſe diviſibiliter in materia ſua, ſiquidem diviſibilitas eſt proprietas quantitatis. Quantitas verò eſt proprietas materiæ. Igitur in forma immateriali non poteſt eſſe quantitas. Igitur ea non poteſt eſſe in corpore ſuo niſi indiviſibiliter. Imò nec aliter dicere poſſunt, qui certum aliquod organum animæ (rationalis) conſtituunt, v. g. cerebrum, aut cor. Etiamſi enim anima eſſet in ſolo cerebro e. g. cum ſit immaterialis, indiviſibiliter eſſet in toto cerebro, i. e. tota in toto, & in ſingulis partibus cerebri tota.

Theorema VII.

Anima rationalis eſt à ſuo corpore ſeparabilis.

§. 37. Et apud Ariſtot. & in Scripturis SS. hanc rem pulchrè deſcriptam habemus. Ariſtoteles de profeſſo proponit diſcrimen inter animas inſeparabiles & ſeparabiles, *l. 1. de an. c. 1. t. 13.* ubi ſic: εἰ μὲν ἐστί τι τῶν τῆς ψυχῆς ἔργων ἢ παθημάτων ἴδιον, ἐνδέχοιτ᾽ ἂν αὐτὴν χωρίζεσθαι. εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἴδιον αὐτῆς, οὐκ ἂν εἴη χωριστή. *Si igitur operationum animæ vel affectuum aliquis proprius ſit ipſius,* (h. e. quæ præciſè ſit animæ, nulloque modô à corpore pendeat, qualis eſt intellectio,) *fieri poteſt, ut ipſa anima ſeparetur; ſin verò nullus ſit eius proprius, non eſt ſeparabilis.* Erit igitur *anima ſeparabilis* illa, quæ propriâ ſuâ gaudet actione, cum corpore vel corporis actione non communicante, uti exponit *l. 2. gen. an. c. 3.* & talis eſt Mens ſive Anima Rationalis; *Inſeparabilis* verò illa, cujus operatio non eſt propria, ſive, quæ non habet operationem propriam, ſed ejus operatio eſt communis cum corpore, ſive communicat cum corpore & corporis actione; v. *d. l. 2. gen. animal.*

mal. c. 3. ut per hunc locum ille, qui est *in 1. de an. t. 13.* explicandus veniat. Inseparabiles verò animæ sunt cunctæ reliquæ præter animam rationalem, quæ sola est separabilis à corpore. Conf. *d. l. 1. de anim. t. 66.*

§. 38. Deinde *l. 2. de an. c. 2. t. 21.* de anima intelligente ait; ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεται χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ; h. e. *videtur autem hoc animæ genus diversum esse, idq́ solùm, perinde ac perpetuum, ab eo, quod sejungi* (seu *separari*) *potest.* Ubi not. quòd non dicit, *separatum esse*, sed, *separari posse*; nam in corpore conjuncta est cum sensitiva & vegetativâ animâ; at verò post mortem hæ ipsæ corrumpuntur, manetque sola rationalis superstes. Similiter *l. 3. de an. c. 4. t. 7.* ubi sic: *sensitivum non est sine corpore; at intellectus ab eodem est separabilis*; ὁ δὲ νοῦς χωριστός. Et *seq. t. 11. Omninò igitur ut res sunt separabiles à materia, sic sese habent & ea, quæ sunt circa intellectum ipsum.* καὶ ὅλως ἄρα ὡς χωριστὰ τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν νοῦν. Et *seq. c. 5. t. 19.* καὶ οὗτος ὁ νοῦς χωριστὸς, ἀμιγὴς, καὶ ἀπαθής; *& is intellectus* (intellectum agentem notat) *separabilis est & nonmistus, passioneq́ vacat.*

§. 39. Adde *l. 12. Metaph. c. 3. t. 17.* ubi sic traditur: *si autem aliquid posteriùs permanet, considerandum est. In quibusdam enim nihil prohibet, veluti si anima tale sit, non omnis quidem, sed intellectus. Omnem namq́* (animam posteriùs manere) *fortasse impossibile est*, ex *l. 1. de an. t. 13.* Quibus verbis animam rationalem posteriùs (h. e. post corpus superstitem) manere asserit. Cujus rei non alia, quàm hæc est ratio, quia cœteræ animæ non possunt habere operationem ullā sine corpore, sive, sine organo corporeo, at anima intellectiva potest, cum de ratione intellectus non sit, ut indigeat operatione corporis, cum qua communicet, ex antè citatis.

§. 40. Tantum de Aristotele. Scripturæ verò SS. animæ

à corpore suo separabilitatem toties inculcant, quoties eam recipi & suscipi à Deo (post mortem) docent. Id quod quidem fit frequentissimè. Ut nihil restet, quàm ut struas argumenta. Sunt autem collectiones facilimæ. 1. Si altera hominis pars essentialis, nempe anima rationalis, post ejus mortem, recipitur & suscipitur à Deo, altera vera pars essentialis, nempe corpus organicum, in terram, unde sumtum erat, revertitur, sequitur animam rationalem à corpore separari, & separatim manere. 2. Si anima rationalis non interit cum corpore, ipsam, interemtô corpore, superstitem manere, adeoque à corpore suo separari, consequitur. Sed utrumque prius est; Erit igitur utrumque posterius.

Theorema VIII.

Anima Rationalis est incorruptibilis & immortalis.

§. 41. Hoc Theorema, quantum ad rem nihil aliud exponit, quàm quod in antecedente expositum fuit. Separabilitas enim animæ (scil. rationalis) si rem ipsam spectes, nihil aliud dicit, quàm immortalitatem ejus, & vicissim, immortalitas animæ (rationalis) quantum ad rem ipsam, nihil aliud dicit, præterquàm ejus separabilitatem à corpore. Conceptibus tamen differunt ista duo, (alium enim conceptum sistit separabilitas animæ, alium ejusdem immortalitas) adeoque distincta prædicata exhibent, distinctisque adeò propositionibus materiam præbent.

§. 42. Non videtur autem necesse esse, ut ostendamus, ex fide & ex religione constare, animam nostram esse immortalem & interitus expertem; hoc enim est quasi quoddam primum principum in religione, quô sublatô, neque resurrectio mortuorum, neque vita æterna, neque supplicia improborum esse possent, vanæque adeò essent cunctæ de vita æterna promissiones, cunctæque pœnarum adversùs impios comminationes. Imò tota periret religio, fidesque no-

stra

ſtra evanida eſſet, ſi animæ cum corporibus extinguerentur, nec poſt mortem ſuperſtites manerent.

§. 43. Sed cum hanc in rem proſtent manifeſta Scripturæ teſtimonia, quædam omninò adponenda ſunt. Mittimus hiſtoriam divitis epulonis & Lazari, quæ habetur *Lucæ cap. 16.* mittimus acerrimam Salvatoris diſputationem contra Saducæos, animæ immortalitatem & mortuorum reſurrectionem negantes, quæ legitur *Matth. cap. 22.* & urgemus (1.) dicta Salvatoris, *Matth. 10, 28. nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem occidere non poſſunt;* & Eccleſiaſtæ *cap. 2. verſ. 7. ſpiritus* (h. e. anima noſtra rationalis) *redit ad Deum, qui dedit eum;* (2.) Suſpiria Salvatoris, *Lucæ, 23, v. 46.* & Stephani, *Actor. cap. 7, v. 59.* quæ animæ noſtræ immortalitatem ſatis ſuperque comprobat.

§. 44. De ſententia quoque Ariſtotelis animam rationalem immortalem eſſe, patet (1.) ex ipſius, quam de profeſſo & conſtanter ſtatuit ille, ſeparabilitate, de qua *in Theor. antec.* patet inſuper (2.) ex aliis locis, in quibus ἀφθαρσίαν animæ de profeſſo ſtatuit, ut quando primò *l. 1. d. an. t. 66.* poſtquàm dixiſſet, corruptô corpore, non poſſe permanere operationes animæ ſenſitivæ, eò quòd ſit materialis & corruptibilis; ſubjungit *fortaſſe intellectum eſſe quid divinius, ac perinde impasſibilem, & ejus operationem*, corruptô corpore, *manere.* Et *in antec. t. 65. non corrumpi Mentē* (ἀφθάρτον) diſertis ait verbis. Deinde, *l. 2. de anim. t. 21.* dicit, *intellectum eſſe aliud genus animæ à ſenſitivo & vegetativo, & id poſſe ab his ſeparari, ſicut perpetuum* (τὸ ἀΐδιον) *à corruptibili.* Ἀΐδιον autem (hîc, ſicut & in aliis Ariſtotelis locis) recurrit cum ἀφθάρτῳ ſeu incorruptibili, ut omninò animam rationalem, quam Mentem vocat, contradiſtinguat animæ vegetativæ & ſenſitivæ, tanquàm incorruptibile corruptibili. Tertiò, *l. 3. de an. cap. 4. t. 12.* aliquot rationibus probat, animam eſſe imma-

terialem & impaſſibilem, adeoque incorruptibilem. Corrumpi enim eſt pati quoddam, ut omninò argumentari tibi liceat; quidquid eſt impaſſibile, idem quoque eſt incorruptibile. Sed anima intelligens eſt impaſſibilis. Ergo quoque eſt incorruptibilis. Deniq;, locô omnium eſt, quòd *ſeq. t. 20.* ait, *Separatus autem* (ſcil. intellectus) *eſt ſolum hoc ipſum, quod eſt, & hoc ſolum* ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον h. c. immortale & perpetuũ.

§. 45. Hiſce alia jungimus loca. *Inl. 12. Metaph. c. 2. t. 16. 17.* docet, mentem ſeu animam intellectualem non poſſe eſſe ante corpus, non tamen prohiberi, remanere ipſam diſſolutô corpore, utpote quæ habet naturam per ſe ſubſiſtentem, atque à corpore independentem. Conf. *2. gen. anim. cap. 3. & l. 1. par. an. c. 1. cir. fin.* Denique adimus *l. 1. Ethic. c. 11.* ubi concludit: συμβάλλεσθαι μὲν τι φαίνονται τοῖς τεθνηκῶσιν καὶ εὐπραξίαι φιλῶν, h. c. *videntur igitur res amicorum non nihil ad mortuos pertinere, ſed ita, & tantum, ut neque beatos non beatos efficiant, neque quidquam aliud tale.* Non autem pertinent ſecundùm corpus. Er. ſecundùm animam. Sanè ſi ſenſiſſet Ariſtot. animam noſtram eſſe mortalem, non ita concluſiſſet. Quod enim non eſt, id nec felix, nec infelix eſſe poteſt. Quò pertinet tandem, quòd Mentem humanam vocat divinum quid, & hoc plurimis in locis, quæ ſuprà in medium citavimus, *Theor. 3.* Imò hoc ipſo, quo eſt immortalis anima noſtra, eſt συγγενεστάτη τῷ Θεῷ, uti loquitur philoſophus, *l. 10. Ethic. Nic. c. 8.* h. e. maximè ſimilis Deo.

Theorema IX.

Nihil eſt in anima intellectiva, niſi quod priùs fuerit in ſenſitiva.

vel, uti aliàs proferri ſolet:

Nihil eſt in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu.

§. 46. Decantatum hoc eſt in Phyſica Ariſtotelica, & ſumitur ex multis Philoſophi locis, præcipuè ex *l. 3. de anim. c.*

8. t.

8. t. 39. ubi hæc habentur: *cum autem nulla res, uti videtur, præter magnitudines sensibiles, separata, in ipsis profectò sensibilibus formis ipsæ sunt intelligibiles formæ, tum earum rerum, quæ abstractæ vocantur, tum eorum etiã sensibilium, quæ sunt habitus atque affectus. Idcircò & qui non sentit, nihil discere, vel intelligere potest.* Cui accedit *lib. 1. Metaph. cap. 1.* ubi statim in principio ait: *omnes homines naturâ scire desiderant. Signum autem est sensuum dilectio. Nam & absque usu propter se ipsos amantur,* scil. *sensus. Præ cæteris autem, quæ per oculos fit. Non enim ut agamus solùm, verùm etiam nil acturi, ipsum videre* (visum) *præ omnibus aliis eligimus,* τὸ ὁρᾶν αἱρούμεθα ἀντὶ πάντων τῶν ἄλλων. Causam hujus asserti addit, ὅτι μάλιστα ποιεῖ γνωρίζειν τι ἡμᾶς αὕτη τῶν αἰσθήσεων, καὶ πολλὰς δηλοῖ διαφοράς; h. c. *quòd sensuum hic* (visus) *vel maximè cognoscere nos quidquam facit, multasque* (multarum rerum) *differentias manifestat.*

§. 42. Et id, quod Aristot. de cognitione nostrâ & modo cognoscendi in genere dixit docuitque, in specie quoque de notitia Dei docet *in l. de Mun. cap. 6. post med. ubi sic:* διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ' αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται. h. c. *quapropter cum (Deus) sit inconspicabilis omni naturæ interituræ, ipsis nihilo seciùs cernitur ab operibus.* Et pergit: *atque ea quidem, quæ in aëre fiunt, quæ in terra, quæ in aqua, ea certè Dei opera esse meritò dixerimus. Dei, inquam, opera, cum imperio summo Mundum ac pro potestate obtinentis.*

§. 48. Optimè ista concordant cum Sacris Literis, maximè cum dicto Pauli *Rom. 1, v. 19. sq.* ubi sic Apostolus: διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, *Deus illis manifestavit.* Quomodo verò? τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι, νοούμενα καθορᾶται, h. c *siquidem quæ sunt invisibilia illius, ex creatione mundi dum per opera intelliguntur, pervidentur.* Huic Paulino de professo respondet illud *Sapient. c. 13, v. 1. Vani sunt omnes homines, in*

quibus non subest scientia Dei, qui ex evidentibus bonis eum, qui est, non potuerunt intelligere, nec ex operibus consideratis opificem cognoverunt. conf. ver. sqq. Aureus quoque pro hoc negotio est locus *Actor. 17, v. 26. sq. fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, præfiniitque præstituta tempora, & terminos habitationis eorum, ut quærerent Deum, si fortè palpent eum, & inveniant, quamvis non longè absit ab unoquoque nostrûm. Per ipsum vivimus, movemur & sumus,* &c.

§. 49. Quæ Scripturæ dicta attestantur, notitiam Dei parari ab intellectu cognoscente, (& hauriri vel acquiri (*ut quærerent*) ex visibilibus Dei operibus) neutiquam verò esse innatam nobis. Majoris lucis ergò argumentamur 1. quæcunque notitia habetur per visibiles species, ea non est innata hominibus seu hominum mentibus, sed acquisita. At verò notitia Dei habetur per visibiles species. Er. notitia Dei non est innata hominibus, sed acquisita. Vel 2. fiat syllogismus h. m. quidquid (quamcunque notitiam) intellectus sibi ex visibilibus mundi speciebus comparat, illud (illam notitiam) non habet in se ante propriam suam operationem. Sed intellectus noster (tàm de Scripturæ S. quàm Aristot. sententia) notitiam Dei ex visibilibus Mundi creaturis sibi comparat. Er. intellectus noster (tàm de sententia Scripturæ S. quàm Aristot.) ante propriam suam operationem non habet in se notitiam Dei. Igitur intellectus noster in se & secundum se est denudatus à notitia Dei, sicut est denudatus à quolibet scibili, ex *l. 3. de anim. cap. 4. t. 3. 4. & seq. t. 14.*

Theorema X.

Memoria & recordatio est rerum præteritarum.

§. 50. Ita docet Aristot. *in lib. de Memor. & Reminisc. cap. 1.* ubi (1.) agit per remotionem, (2.) per θέσιν seu affirmationem. Primò removet à memoria *futura* & *præsentia*, quòd nec *ista*, nec *hæc* sint, aut esse possint objectum memoriæ.

riæ; deinde asserit, *præterita* (eaque sola) esse objectum memoriæ. Et hoc iteratâ dicit docetque vice, concludens: διὸ μετὰ χρόνȣ πᾶσα μνήμη, *quocirca omnis memoria cum tempore*, siquidem ipsa non nisi elapsô temporis articulô exultat. *Et in seq. cap. 2.* pulchrè ait: μνημονεύει γὰρ νῦν, ὃ εἶδεν, ἢ ἔπαθε πρότερον, ȣ̓χ ὃ νῦν ἔπαθε, νῦν μνημονεύει, h. e. *siquidem nunc ejus rei memini, quam prius cognovi, & non quam nunc* (in hoc momento) *sensi, nunc* (in hoc eodem momento) *memini*. De hac re vid. plura in nostro *lib. de anim. sect. 3.* §. *189. p. 472. sq.*

§. 51. Eod. modô de memoria & recordatione loquitur S. Scriptura, ut eam non nisi præteritorum esse, intelligat. Sic quando Deus inquit: *recordabor fœderis mei, Gen. 9, v. 15. Levit. 26, v. 45. Ezechiel. 16, v. 60.* de re præterita loquitur. Sic Deus dicitur *recordari peccatorum nostrorum, Jeremiæ 14, v. 10. Oseæ 8, v. 13.* & *sq. c. 9, v. 9.* dicitur *recordari miserationum suarum, Esa. 63, v. 7. Psal. 97, v. 4.* Huc pertinet quoque, quòd Salvator in Institutione S. Cœnæ ait: τȣ͂το ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *hoc facite in mei recordationem*. Valetque hîc illud, quod legitur *Lucæ 24, v. 6. recordamini, sicut locutus fuit*, quando instituit S. Cœnam, volens atque præcipiens, ut hujus suæ sanctissimæ institutionis memoriam habeamus, eamque veneremur, & pro ea gratias agamus.

FINIS

Animus erat, ſicut & in limine hujus Tractatus promiſimus, ἠθολογίαν quoque Ariſtolicam ſubjungere, in eaque conſenſum Ariſtotelis cum Scriptura S. oſtendere; verùm quia lumen naturæ, ad quod Ariſt. Ethicos ſuos Libb. conformavit & conſcripſit, lumini revelationis neutiquam contrariari, ſed alterum alteri quàm amiciſſimè reſpondere tàm certum ſit, quàm quod certiſſimum, inſuperque cunctis, qui Ethicos Ariſtotelis Libros luſtrârunt, ſatis notum, hac de re aliquid in medium proponere ſupervacaneum duximus.

TRACTATUS PARS SECUNDA.

In qua

De Dissensu Aristotelis à Scriptura S. agitur.

PRimâ hujus Tractatus parte, quæ erat de Consensu Aristot. cum Scriptura S. in illis doctrinis, quæ ex lumine naturæ petuntur, absolutâ, consequens est, ut de dissensu Aristot. (dogmatum Aristotelicorum) à Scriptura agamus, dispicientes, an ille aliquid SS. Literis contrarium vel adversum docuerit aut statuerit. Ubi quidem observandum, ***pugnam*** & ***dissensum*** esse duplicem; vel ***verum***, vel ***apparentem***. Non enim omnia, quæ videntur pugnare, reverà pugnant, id quod tum profanis, tum Sacris ostendi potest exemplis. E profanis sit, quòd Aristot. *l. 2. de gener. animal. c. 3.* statuit, mentem (animam rationalem) forinsecùs accedere, & ex consequente negat, animam hominis generari à parentibus; qui tamen alibi videtur affirmare, hominem generari secundùm animam, hoc ipso, quô ait, hominem generare hominem, quod ait sæpissimè. Porrò scribit Problem. *sect. 10. q. 44.* ἡ φύσις πάντα φαῦλα ποιεῖ; & tamen alibi, nempe *l. 2. de cœl. c. 5. t. 34.* & *l. de juv. & Sen. c. 3.* tradit, quòd natura semper faciat id, quod est optimum, ἀεὶ ποιεῖ τὸ βέλτιστον. Ad Sacra progredimur, ubi se primùm offert Genealogia Christi, descripta à *Matthæo c. 5.* & *Luca c. 3.* in qua descriptione non unum sese offert ἐναντιοφανὲς. Porrò dicitur *Exod. 33. v. 20.* nullus homo videre potest Deum, & tamen quidam ho-

mo, nempe Moses, vidit Deum à facie & faciem, *Num. 12. v. 8. Deuter. 34. v. 10.* De Urbe Bethlehem dicitur *Michæ c. 5. v. 2.* quòd sit minima; *Matthæi c. 2. v. 6.* dicitur, quòd sit nequaquam minima &c. Re ita se habente, mirum non est, si tales ἐναντιοφανίαι deprehendantur inter Scripturæ S. & Aristotelis dicta, quas deinceps in medium afferemus, & diluemus. Servabimus autem ordinem suprà indicatum, primòque Theologiam, deinde Cosmologiam, tertiò Anthropologiam, & denique Psychologiam Aristotelicam spectabimus. De quibus jam ordine.

SECTIO I.

Dissensum Aristot. à Scriptura S. in Theologia exhibens, eumq; diluens.

§. 1.

Cum multa hîc sese offerant consideranda, distinctis articulis distincta doctrinæ capita proponemus. Sit ergo

Articulus I.

De notitia Dei & Divinorum.

§. 2. Primò: Sacræ Literæ docent (1.) Dei notitiam (τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ) esse manifestum in nobis, *Rom. 1. v. 19.* adeoque nobis naturâ insitam; (2.) divinam Legem, quæ est norma vivendi, esse inscriptam cordibus nostris, *Rom. 2. v. 15.* At verò Aristot. docet *l. 3. de an. c. 4. t. 14.* nihil esse in intellectu, sicuti in tabula, cui nihil actu inscriptum. Id quod directè Apostolo adversari videtur; pugnant enim scriptum esse in aliquo, & non esse scriptum in aliquo; vel, aliquid esse inscriptum animo, &, nihil esse inscriptum animô, sive, quod hîc perinde est, cordi.

§. 3. Deinde: juxta Aristot. nihil est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu, *l. 3. de an. c. 8. t. 39.* & *l. 1. Metaph. c. 1. init.* At verò, juxta Scripturam S. Dei notitia est in intellectu, quæ priùs non fuit in sensu. Deum enim nemo vidit

vidit unquàm, *Joh. 1, v. 18.* & nullus homo poteſt videre Deum, *Exod. 33, v. 20.* Poteſt igitur, juxta Scripturam, aliquid cognoſci ab intellectu, quod non fuit cognitum à ſenſu.

§. 4. At nulla hîc Ariſtotelis cum Scripturis SS. pugna, nullus ab ea diſſenſus, ſi modò omnia eô, quô par eſt, modô intelligantur. Docent (1.) SS. Literæ, *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ fuiſſe manifeſtum in gentilibus*; at non docent, *idem eùdem fuiſſe actu innatum*; quæ duo ſunt longè diverſiſſima, nec unum ad alterum conſequitur. Similiter (2.) tradunt SS. Literæ, *legem fuiſſe inſcriptam cordibus gentilium*, (quomodo nimirum inſcribi lex cordibus hominum poteſt) *legem verò*, & quidem quat. lex eſt, *actu fuiſſe cordibus gentilium inſcriptam, ut eam à nativitate habuerint inſitam*, SS. Literæ nullatenus docent. Rem proponit Scriptura Sacra, nimirum, *legem fuiſſe inſcriptam cordibus gentilium*; modum verò, an nimirum *actu* fuerit inſcripta, an verò *δυνάμει* ſeu *poteſtate*, non exponit, ſed illum ſuæ diſciplinæ exponendum relinquit.

§. 5. Inpræſentiarum nos ita procedemus. Primò: quantum ad locum *Rom. 1, v. 19.* primò conſulendi ſunt fontes Græci, ubi ita habetur: *τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐν αὐτοῖς.* Dicant hîc Græcæ Linguæ periti, an phraſis: *φανερὸν ἐν αὐτοῖς*: dicat aut notet innatum quid? Non dicent ſanè. Si quis objiciat cuidam ſceleſto, qui vel furtum commiſit, vel virginem ſtupravit: *τοῦτο φανερὸν ἐν αὐτῷ*, manifeſta eſt in te furti (aut ſtupri) commiſſio, conſcientia tua te convincit, &c. Aut dicat Magiſtratus ſubdito: manifeſta eſt in te Conſtitutionū & legum noſtrarum notitia; quid faciendum tibi, quid omittendum, nôſti tanquam tuos ungues, &c. Aut dicat Rex alteri Regi, fœdifrago; manifeſtum eſt in te tuâq; conſcientia, quibus conditionibus fœdus panxerimus, quid alter alteri, ſub fide regia, promiſerimus, & tu à fide data defeciſti, &c. In talibus & ſimilibus eadem illa phraſis, *φανερὸν ἐν αὐτοῖς*

ἐν ἡμῖν, ἐν ὑμῖν, &c.) locum habet, nihil verò innati ibi notatur.

§. 6. Deinde, accurrant Physici, ostendantque, *omne cognitum* (maximè, si sit perfectè cognitum) *esse manifestum in cognoscente.* Et quis dubitet de hoc, cum intellectus intelligendo fiat intelligibilia ipsa, uti docet Arist. *in 3. de an. c. 4. & 5.* Est autem intellectus omnia, non, quòd sit res ipsæ, quas cognoscit, e. g. ignis, lapis, homo, vel aliud intelligibilium; sed quia cunctorum formas & species in se recipit. Imò hoc est intelligere, species rerum in se recipere, receptasque dijudicare. Annon verò τὸ γνωστὸν erit manifestum in nobis, cujus species receptæ fuêre in anima, & ab ea dijudicatæ? Argumentamur: quidquid intellectui per species intelligibiles repræsentatum, ab eoque perceptum & dijudicatum fuit, illud est manifestum in intellectu cognoscente. Sed omne ab intellectu cognitum intellectui, mediantibus speciebus, fuit repræsentatum, ab eodemque perceptum & dijudicatum. Er. omne cognitum est manifestum in cognoscente.

§. 7. Nunc porrò: nectatur, quæso, consequentia, aut de ea fiat judicium. Rectène colligit, qui ita colligit: quidquid est manifestum in aliquo, vel, in alicujus animo, id ei est innatum aut insitum actu. Sed γνωστὸν τοῦ Θεοῦ est manifestum in nobis, (manifestum erat in gentilibus.) Er. γνωστὸν τοῦ Θεοῦ est nobis innatum aut insitum actu. Quis saniorum non animadvertit, consecutionem Majoris esse nullam? Quæritur enim meritò; quæ consecutionis ratio? Vel, quæ causa, ut id, quod in nobis nostrisque mentibus est manifestum, nobis sit innatum aut insitum actu? Nulla hîc, nulla est. Imò inconveniente, & quidem non uno, urgeri & convinci posse τοὺς ἀντιλέγοντας, ostendimus. Nimirum: omnis lex est manifesta in eo, qui eam attentè audivit, aut legit,

legit, auditamque aut lectam menti suæ impressit. Er. omnis lex est innata ei, qui eam audivit, auditamve menti suæ impressit. Imò, uti jam modò monstratum, omne cognitum est manifestum in cognoscente. Ergone omne cognitum erit nobis actu insitum; falsò & absurdè! Nulla igitur in homine notitia acquisita; falsò & absurdè! Falsa igitur & absurda ista propositio: quodcunque γνωστὸν est manifestum in nobis, illud, sive illius notitia est nobis innata.

§. 8. Denique, ipsos quoque Doctores Theologos, eosque primarios, adeamus & consulamus. Non de innata, sed de acquisita notitia D. Paulum loqui, sequentes attestantur. B. Lutherus *Præfat. in Epist. ad Roman. in Tom. 5. Lat. Witteber. fol. 98. b.* ita proponit: *nam quanquam Deum esse ex creaturis homo cognoscat, tamen sine gratia natura tàm mala & prava est*, &c. B. Hunnius *in Exposit. Epist. ad Roman. c. 1. p. m. 79.* ita: *hoc vult Paulus, quando subjungit: id quod de Deo (ex lumine scil. rationis) cognosci potest, manifestum esse in illis, idque ex patefactione Dei, qua se in visibili mundo revelet, ut ex creatione mundi adeoque ex visibilibus Dei operibus assurgere debuerint ad opificis cognitionem.* Et mox: *Cum igitur Deus tantam notitiam eis largitus sit, pro qua grati esse debebant, eâque benè uti* &c. *ipsi verò hoc usque adeo non fecerint, ut ne quidem pro modulo notitiæ in naturâ revelatæ Deum colere studuerint, ideò ipsis omnem planè excusationem præcisam docet.* Additque mox: *quòd* (gentes) *hanc ipsam in natura patefactam notitiam corruperint & suffocârint*, &c. D. Winckelmann. *in Notat. in Ep. Pauli ad Rom. c. 1. v. 19. pag. 23.* ita habet: *primùm demonstrat gentilium impietatem ex idololatria, quam exercuerunt contra naturalem Dei notitiam, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ i. e. quat. Deus cognosci potuit ex suis operibus.* Not. quòd hic Doctor τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ neutiquam per innatam notitiam exponat, sed per acquisitam; *quat. Deus cognosci potuit ex operibus suis*, inquit.

§. 9. Hosce duces secuti posteà fuêre alii Doctores, D. Jac. Martini b. rec. *in Disp. de Not. Dei nat. con. Photin. Witteberga ann. 1624. d. 13. Aug. habit. th. 61.* aliisque passim, & *in Partit. Metaph. lib. 1. sect. 2. §. 3. p. m. 664. sqq.* D. Calixtus *Appar. Theol. p. 4.* D. Klotzius *in Theol. Natur. Præfat.* de professo. D. Hulseman. *Breviar. Theol. ca. 2.* qui τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod in gentilibus manifestum fuisse scribit Apostolus, h. m. exponit: *Cognitio Dei manifestata est ipsis. Deus enim eam manifestavit illis. Quæ enim invisibilia sunt, ut æternitas, potentia, divinitas, &c. cognoscuntur ex operibus.*

§. 10. Ubi non est, ut dicas, horum Theologorum explicationes non esse intelligendas exclusivè. Resp. omninò exclusivè. 1. De nulla enim alia, quàm de ea, quæ ex visibilibus mundi creaturis hauritur, notitia loquuntur, nec τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod manifestum fuisse dicitur in gentilibus, de alia, præterquàm acquisitâ notitiâ interpretantur, ut clara allegatorum Doctorum testatur litera. 2. Ex superabundante ita discurrimus: aut notitia insita pertinet ad substantiam textus Apostolici, aut non. Si non; habemus quod volumus. Si verò prius, h. e. si pertinet ad substantiam dicti Apostolici, utique illud de innata pariter & acquisita notitia explicâssent, siquidem præsumibile est, tantos & tàm doctos Autores Theologos nihil, quod ad substantiam textus pertinet, omisisse. Et cur non, si genuina Dei notitia, aut genuinus Deum noscendi modus in textu Paulino latesceret, vel ab Apostolo indigitatus fuisset, cur non, inquam, genuinum in expositione sua tradidissent doctissimi Theologi?

§. 11. Denique; liceat textum Apostoli, de naturali Dei notitia loquentem, rectis intueri oculis. Annon vides & deprehendis, qui locum istum inspicis, Apostolum ibi duo, quantum ad præsens negotium, sive, quantum ad naturalem Dei notitiam, agere; annon primò ponit thesin,

ver.

ver. 19. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερὸν ἐν αὐτοῖς; & posteà apponit rationem & probationem theseos, ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. Hæc est genuina *ver. 19.* ἀνάλυσις. Inde hic emergit συλλογίζων λόγος: De qua notitia loquitur probatio theseos, de eâdem ipsam quoque thesin aut assertum loqui oportet, & vicissim; debent enim thesis & probatio theseos sibi invicem respondere. Sed probatio (à Paulo allata) loquitur de notitia Dei, ex creaturis visibilibus quæ hauritur. Er. de illa notitia ipsum quoque Apostoli assertum (sive, ipsa thesis) loquitur. Aut, si prior dicti pars, thesin exhibens, loquitur de innata, uti aliqui volunt, notitia, posteriorem quoque dicti partem, rationem asserti quæ continet & exhibet de innatâ notitia loqui consequitur. Sed hoc non est. Er. neque illud prius erit.

§. 12. Vel, struatur Syllogismus ex Interpretibus Sacris (sup. in medium citatis) h. m. quæcunque notitia habetur ex manifestatione per creaturas, illa acquisita est, neutiquam innata. Sed illa Dei notitia, quæ manifesta est in animis (in cordibus) nostris, (quæ manifesta erat in gentilibus) habetur ex Dei manifestatione; ὁ γὰρ θεὸς ἐφανέρωσεν αὐτοῖς τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ. Er. notitia Dei, quæ est manifesta in nobis, (quæ erat manifesta in gentilibus) acquisita est, neutiquam innata, utpote quæ de se est nulla, ceu *in Dissert. de Notit. Natur.* à nobis ostensum satis superque.

§. 13. Hîc nullum alium, Deum cognoscendi modum invenimus, præterquam illum, qui est per manifestationem ex operibus Dei. Verbô: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερὸν ἐν αὐτοῖς διὰ τὴν φανέρωσιν τοῦ θεοῦ. Quam ipsam Dei notitiam noster quoq; Philosophus, eisdem ferè, quibus Apostolus, verbis descriptam nobis reliquit *in l. de Mun. c. 6. post. med.* ita tradens: διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, (Apostolus vocat τὰ ἀόρατα τοῦ θεοῦ, qualia sunt ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης) ἀπ' αὐτῶν ἔργων (Apostolus vocat ποιήματα) θεωρεῖται, (Apostolus ait; καθορᾶται.)

§. 14. Hactenus de primo Scripturæ loco Aristoteli, sed frustrà, opposito; quantum ad alterum ex *Roman. c. 2, v. 15.* nec ille Aristoteli adversatur, aut ejus asserta tollit. Ita habet Philosophus: δεῖ δὲ οὕτως, ὥσπερ ἐν γραμματείῳ, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον; h. e. *oportet autem in intellectu nihil esse, perinde atq; in tabula nihil est actu inscriptum, antequam in illa scribatur;* sicut & in immediatè antecedentibus dixerat, *intellectum nihil intelligibilium esse actu, antequam ea intelligat, potentiâ verò esse intelligibilia cuncta.* Est igitur Philosophi nostri assertum primum & primarium, *in intellectu nihil esse inscriptum actu.* Huic minimè adversatur Paulus, quando ait, quòd gentes ostenderint opus legis scriptum in cordibus suis: οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν. Non enim dicit Apostolus, opus legis *actu* fuisse scriptum in cordibus gentilium, & quidem in ipsorum nativitate, vel, legem ipsis fuisse innatam; sed rem nudè proponit, modum verò inscriptionis suæ disciplinæ exponendum relinquit. Inscripta igitur cordibus gentilium intelligenda lex eo, quo par, & quo possibile est, modô. Alterum Philosophi assertum est, *omnia posse inscribi intellectui*, utpote qui δυνάμει est intelligibilia cuncta. Non igitur negat omnem inscriptionem Philosophus, quod vel ex eo percipere est, quando determinat vel limitat assertum, ajens, *in intellectu nihil esse inscriptum actu, antequam inscribatur* (NB. antequam inscribatur) sicuti in tabula fieri videmus; sed negat tantùm, intellectum affectum vel imbutum esse aliquâ notitiâ, antequam actu intelligat ipse.

§. 15. Ut proinde huc redeat totum negotium. *Aliquid* (ut notitiam Dei, aut notitiam legis) *esse nobis* (animis aut cordibus nostris) *inscriptum*, potest dupliciter intelligi: *vel* quòd sit inscriptum ἐντελεχείᾳ, uti Philosophus loquitur, h. e. actu; *vel;* quòd inscriptum sit δυνάμει seu potentiâ. Non vult

vult Aristoteles, intellectui omni modô nihil esse inscriptum; nec affirmat Apostolus, mentibus gentilium de se & actu inscriptam fuisse legem, antequam inscriberetur, h. e. ante ejus cognitionem; ut proinde nulla hîc pugna, nullus dissensus inter Paulum & Aristotelem.

§. 16. Pro intelligenda verò Aristot. doctrinâ notandum venit, quòd velit, omnia priùs haberi potentiâ, quàm actu. Sicut enim actus præsupponit potentiam, ut e. g. risus potentiam ridendi, visus potentiam videndi, &c. ita esse aut haberi actu supponit esse aut haberi potentiâ. Et hoc documentum (1.) habetur in ipso hoc Aristot. textu; intellectus primò est intelligibilia *δυνάμει*, posteà verò, h. est postquàm intellexit aut cognovit, est intelligibilia ipsa actu. *(2.)* habetur in *l. 2. de an. c. 1.* cui respondet *l. 2. gen. an. c. 3.* ubi de Semine dicitur, quòd non sit animatum, & tamen non omni modô vitâ privatum. Statuit igitur, ipsum non esse animatum actu, animatum verò potentiâ; Sicut & de semine dixerat *d. l. 2. de an, c. 1. semen non esse corpus organicam, sed posse tale corpus evadere.* Accedat (3.) *l. 2. Ethic. Nic. c. 1.* ubi pulchrè: *quacunq; nobis à natura obveniunt, eorum potestates priùs accipimus, posteriùs functiones muneris obimus.*

§. 17. Pertinet huc, quòd *semina virtutum* dicuntur nobis innasci, aut naturâ inesse. Semina autem virtutum non nisi potentiam dicunt, neutiquam ipsas virtutes, sicut semen tritici non est ipsum triticum, *(1. Cor. 15. v. 37.)* sed potentiâ est triticum. Sic semina notitiarum de Deo, de lege, &c. non sunt ipsæ notitiæ actu, sed continent potentiam ad easdem. Similiter quando *lumen naturale intellectus* nobis dicitur connasci, lumen naturale intellectus non dicit notitias actu insitas, sed actum primum, vel, quod eodem recidit, potentiam intelligendi aut cognoscendi, quam intellectio sive cognitio insequitur. De quo negotio plura *in Differt. de Not. Natural.*

§. 18. Cum hac nostra conciliatione concordat illa, quam Dn. D. Hornejus b. recor. proponit *in Inst. Log. l. 5. q. 9. p. 539.* ubi quæstionem *pag. antec. 538.* motam (*an cognitio propositionum, quæ per se notæ dicuntur, homini innascatur, an ab eo acquiratur?*) decidit hoc modô: *Ut autem intelligatur, cur & quomodo naturaliter nota dicantur, observandum hic ex Paulo Soncinate 4. Metaph. q. 33. & Javello 2. Metaph. q. 1. dupliciter aliquid naturale dici; uno quidem modô, quod naturæ ab initio actu inest, sicut naturale homini est videre, intellectum & voluntatem habere; altero, quod quamvis actu ab initio rei non insit, secundum proximam tamen potentiam inest, & tale est, ut natura, absque externa ope, id producere possit, sicut naturale lapidi est, ut descendat: etsi enim motus ille non statim ei inest, cum producitur, sicut gravitas causa illius motus, potentiam tamen lapis habet, ut citra ullum aliud adminiculum ita moveatur. Cum ergo propositiones per se notæ, dicuntur naturaliter notæ esse, non priori, sed posteriori sensu vocabulum naturale usurpatur. Nec aliter Theologi aut Paulus legem naturæ innatam & cordibus inscriptam vocant, nec Paulus Aristoteli repugnat, quia hic de eo, quod naturale priori sensu est, loquitur, illa de eo, quod posteriori: etsi enim lex naturalis non est nota, cum primùm nascimur, ita tamen evidens est, ut sola natura, sine institutione aut ullo externo adminiculo, ad ejus cognitionem acquirendam sufficiat.*

§. 19. Quantum ad aliam Aristot. contrarietatem, quæ sup: §. 3. opposita fuit, doctrina Philosophi sana est & salva; negamus verò Deum nullo modô esse in sensu. Contrarium ipsæ Scripturæ SS. docent; ipse D. Paulus *Rom 1. ver. 20.* τὰ γὰρ ἀόρατα τοῦ θεοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται; accinunt *lib. Sapien. 13, v. 1. sq. Job. c. 12, v. 7. sqq. Psal. 19. v. 1. Actor 17, v. 26. 27. ut quærerent Deum, si fortè palpent eum, & inveniant, &c.* In quibus dictis Deus proponitur nobis

nobis 1. ut quærendus, 2. ut videndus, 3. ut palpandus, 4. ut inveniendus, &c.

§. 20. Sciendum igitur, aliquid *esse in sensu*, vel *cadere sub sensum*, dupliciter: *vel* directè & secundùm se, *vel* indirectè & per aliud. Id quod iterum variis contingit modis, ceu videre est apud Javell. *l. 1. Metaph. q. 6. p. m. 27.* Fonsec. *l. 1. Metaph. c. 1. q. 1. sect. 3. col. 93.* & *l. 2. Metaph. c. 1. q. 2. sect. 3. col. 404.* Zabarel. *com. in 1. post. anal. c. 15. col. 890.* Kesler *Exa. Phys. Photin. sect. 2. princ. 6. p. 188. sq.* qui videantur. Quamvis verò Deus non sit in sensu directè & secundum se, quod volunt dicta *Johan. 1, v. 18. Exod. 33, v. 20.* est tamen in sensu per aliud, nimirum per effectus suos, ceu testantur dicta *Sapien. 13, v. 1. sq. Jobi, 12, v. 7. sqq. Psal. 19, v. 1. Actor. 17, v. 26, 27.* Imò utrumque hoc docet Paulus sæpè cit. *c. 1. Rom. v. 20.* scribens: *τὰ ἀόρατα αὐτοῦ καθορᾶται.* Nimirum 1. docet, Deum secundùm se & secundùm propria sua esse invisibilem; Divinitatem enim æternamque ejus potentiam nemo videre, aut ullo alio sensu percipe potest; 2. docet, Divina illa, quæ secundùm se sunt invisibilia, videri ex operibus Dei. Utrumque eôdem modô Aristot. inculcat *d. l. de Mun. c. 6.* Ait enim 1. *ὁ θεὸς πάσῃ θνητῇ φύσει ἀθεώρητος*, utpote qui secundum se & proprias suas perfectiones insensibilis est; 2. ait: *ἀπ' αὐτῶν ἔργων θεωρεῖται.* Ut Aristotelem habeamus, quantum ad hoc, Scripturis Sacris consentientissimum.

Articulus II.

De prædicatis Dei quidditativis.

§. 21. *In par. 1. sect. 1. ar. 1. §. 21.* asseruimus, juxta Arist. *Deum esse substantiam spiritualem.* Sed contrà videtur esse I. quòd Aristot. dividens substantiam *l. 2. de an. t. 2. tres* esse substantias tradit; *materiam, formam, & compositum*, quod ex utraq; illa constat. Jam verò si Deus neque est materia, neq; forma, neque compositum, ipsum non esse substantiam consequi-

tur. Resp. illa divisio extra limites suos non est extendenda. Aristot. *l. cit.* ut Physicus, divisionem, doctrinæ physicæ accommodatam, adducit, (verbô: *substantiam physicam* dividit) nec illâ divisione substantiæ latitudinem exhaurit. Etenim alibi, ut *l. 12. Meta. c. 1. substantiam* in *sensibilem* & *immobilem* seu *separabilem* dispescit, & sub immobili Deum comprehendit. Et *d. lib. c. 7. t. 41.* Deum vocat substantiam à sensibilibus separatam. Vid. *sup. par. 1. sect. 1. ar. 1. §. 27. p. 13.*

§. 22. Contrà videtur esse II. quòd Deum appellat ζῶον seu animal, *l. 12. Metaph. c. 7.* & *l. 5. Topic. c. 1.* Jam verò omne animal est corpus vivum sentiens. Quidquid autem est substantia talis, h. e. corpus vivum sentiens, illud non est (nec esse potest) substantia immaterialis sive spiritus. Resp. ex suprà dictis & evictis satis constat, Aristotelem Deum substantiam immaterialem existimâsse. Dicimus igitur, ipsum per ζῶον neutiquam intellexisse substantiam corpoream vivam sensu præditam, sed vocem aut (1.) generaliùs seu communiùs accepisse, pro vivente, qualecunque illud fuerit, ceu vult Fonseca *in Comm. l. 12. Metaphys.* veluti nos quoque interpretati fuimus *par. 1. sect. 1. art. 1. Theor. 16. p. 40.* aut (2.) legendum ζωὸν, mutatô accentu, quæ vox vivens significat; aut (3.) dicendum, Aristot. ex recepta & communi hominum sententia (& non ex sua) Deum ζῶον i. e. animal vocâsse; in quam opinionem propendet Thomas *in Com. 12. Metaph.* ubi ait: *inde est, quòd in fama hominum dicitur, quòd Deus est animal sempiternum & optimum. Vita enim in solis animalibus apparet manifestè. Inde est ergo, quòd dicitur animal, quia vita competit ei.* Quamcunque verò ex his acceptaveris responsionem, Aristotelem Scripturis SS. consentientem reddere poteris.

§ 23. Contrà videtur esse III. quòd Aristoteles Deum (1.) vocat κινούμενον, i. e. *tale quid, quod movetur, l. 8. Phys. c. 7. t. 64.*

t. 64. (2.) Deo motum sempiternum inesse dicit, *l. 2. de Cœl. t. 17.* Atque inde arguis: Id quod movetur, est mobile. Id autem, quod est mobile, non est imateriale seu spirituale. Deus igitur, juxta Aristot. non est spiritualis substantia. Sed hîc in promtu sunt duæ responsiones. (1.) Jandunus *sup. l. 8. Phys. q. 13.* putat, Deo aliquo modô motum tribui posse. Dicit enim, *motum* dupliciter accipi posse: 1. *propriè* pro transmutatione, secundùm quam aliquid se aliter nunc habet, ac priùs. 2. *impropriè*, pro quacunque rei operatione, sive illa à substantia operante diversa sit realiter, sive non. Priori sanè ratione Deo motum competere negat; posteriori verò Deo tribui posse concedit, ut qui se ipsum intelligit & amat, quæ tamen operationes immanentes cum ipsa substantia divina realiter idem sunt.

§. 24. Resp. (2.) Juxta Interpretum explicationem in citatis ll. non intelligitur Deus, nec, quando Aristot. Deum vocat κινȣ́μενον, seu tale quid, quod movetur, Nomen *Dei* accipit pro Ente primo & optimo, ut quod immobile sæpissimè dicit, (*lib. 12. Metaph. c. 7. & 8.* ubi Deum vocat ὂν ἀκίνητον, & ȣ̓σίαν ἀκίνητον item *l. 8. Phys. c. 5. & 6.* ubi Deum frequenter primum Ens immobile nominat) sed pro *Cœlo*, juxta eorum sententiam, qui corpora Cœlestia Deos vocârunt, uti observant Thomas, Anton. Majoragius, Conimbricenses & alii *Comm. in ll. supr. cit.* Deum autem, uti sumitur pro Cœlo, moveri & mobilem esse, non adversatur illi sententiæ, utpote Aristotelicæ & veræ, quæ Deum, uti pro Ente primo, optimo & necessario accipitur, immobilem & immaterialem esse, statuit.

Articulus III.

De Unitate Dei.

§. 25. Aristoteles sæpissimè multos Deos nominat, inquis, adeòque unum Deum non statuit. Sed audi, etiam

Scriptura S. persæpè multos Deos nominat; Ergo in Scriptura Sacra multi Dii statuuntur. Malè colligis, si ita colligis. Sanè sicut Scriptura S. non nisi unum verum Deum, qui sit Cœli Terræque Conditor & Conservator, revelat, ita quoque Aristoteles non nisi unum Deum, Cœli Terræque Conditorem & Conservatorem, nobis describit, ceu vel unicè ex *l. de Mund. c. 7.* videre est, ubi unum Deum, varia autem unius Dei nomina esse docet. Imò ex generali & communi ratione entis, ab Aristot. definitâ, id colligere vales & deducere. Docet is, ens quat. ens unum esse, imò ita conjuncta esse ens & unum, ut invicem convertantur, *lib. 4. Meta. c. 2. lib. 7. Metaph. c. 4. lib. 12. Metaph. c. 2. & 3.* Unde quia, juxta Aristotelem, omne ens est unum; etiam Deum esse unum consequitur, & quia ens entium Deus est Aristoteli, juxta ipsum maximè unus, & simplicissimè unus statuendus venit.

§. 26. Quantum verò ad πλυθεότητα, seu ad multitudinem Deorum, eam Aristoteles non statuit, sed vulgari loquitur quandoque more, & imperitum vulgus sequitur. *Nec enim πλυθεότης seu multitudo Deorum*, uti habet Slevogtius noster b. r. *in disp. de Lum. Natur. §. 6. apud Ethnicos fuit error rationis, sed lapsus imperiti vulgi, qui, uti Cicero ait, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. Is cum invisibilem Deum nec videre, nec sine fide amplecti posset*, pergit, *ad rerum visibilium fiduciam prolapsus est, & idola sculpsit multiplici figurâ, quæ intueri oculis, quæ amplecti brachiis posset. Quod virus hominibus à Diabolo afflatum nec ignorârunt Philosophi, nec probârunt, sed reliquerunt vulgo, præcipuè quòd Religionem ex usu Reipubl. constitui viderent & à Politicis credi, imperitam multitudinem tot Numinum metu faciliùs in officio contineri posse.* Hæc Slevogtius, in quibus omninò acquiescimus.

Arti-

Articulus IV.

De Dei magnitudine & excelsitate.

§. 27. Scriptura S. Deum magnum & excelsum prædicat, *Psal. 145, ver. 3. Psal. 48, v. 2.* & alibi passim. Aristoteles verò Deo quantitatem adimit. Tradit enim *l. 12. Metaph. c. 7.* h. m. *quòd quadam æterna immobilisque substantia, & à sensibilibus separata, constat è dictis. Ostensum autem est, quòd nec ullam magnitudinem possibile est hanc substantiam habere, verùm partium expers indivisibilisq; est. Nam infinitò movet tempore. Nihil verò finitum infinitam habet potentiam. Cum omnis magnitudo aut infinita, aut finita sit, finitam quidem magnitudinem hac ipsâ de causa non habebit. Nec verò infinitam, quòd nulla omninò infinita magnitudo in natura sit.*

§. 28. Verùm neutiquam Scripturæ S. Aristoteles est contrarius. De alia enim magnitudine illa, de alia hic loquitur. Quod vel ex eo percipere est, quòd Scriptura ait, *magnitudinis ejus* (Dei scilic.) *non esse finem*; quo ipso Deo magnitudinem infinitam tribuit; Aristoteles verò eidem magnitudinem infinitam denegat, quòd talis magnitudo omninò nulla sit. Sed juxta aliam vocis acceptionem. Ita enim discurrit: Si Deus est magnus, aut habet quantitatem finitam, aut infinitam. Non finitam, quia infinitò movet tempore; nec infinitam, quia talis non datur. Er. Deus nullam habet magnitudinem, vel, quod idem est, non est magnus.

§. 29. Sciendum igitur, *duplici modò aliquid dici magnum*: vel *propriè*, sive *juxta proprietatem physicam*, de quantitate molis, quâ aliquid partem extra partem habet, quomodo corpora naturalia quanta sunt & dicuntur, quomodo accipitur *l. 1. de Cœl. c. 2. t. 5.* vel *impropriè & analogicè*, *de quantitate virtutis*, seu *de perfectione rei*, quâ illa, quæ in majori perfectione sunt constituta, magna dicuntur. Aristot. Deo quantitatem propriè dictam denegat; Scriptura S. verò,

quando

quando Deum magnum dicit, non de propriè dicta magnitudine, quæ nō nisi in corporeis locum habet substantiis, sed de altera vult intelligi. Similiter quando *Job.11, v.8. & 9.* profunditas, longitudo & latitudo Deo tribuuntur, nō nisi quantitas virtutis, sub similitudine quantitatis corporeæ, designatur. Ut nulla hîc inter Aristot. & Scripturam S. relinquatur pugna. Conf. *sup. sect. 1. ar. 2 propos. 11. in p. 30.*

Articulus V.

De infinitate Dei.

§. 30. Inveniuntur loca apud Aristot. quæ videntur obstare infinitati Dei, (1.) *In lib. 8. Phys.* probat, non posse dari infinitam virtutem in magnitudine, quia si ea daretur, moveret in non tempore. (2.) Attribuit nonnulla Deo, quæ tamen infinitam ejus virtutem destruunt. *Lib. 1. de Cœl. c. 8. t. 36.* negat, posse esse aut fieri plures Mundos. Non ergo potest Deus plures condere, quod sanè infinitæ ipsius repugnat potentiæ. Et *l. 2. de Cœl. c. 6. t. 35.* asserit, primum motum esse determinatæ velocitatis, ob determinatam virtutem primi Motoris. Imò denique (3.) Aristot. non aliter Deo tribuit infinitam virtutem, quàm duratione, quia nimirum infinitô movet tempore, *lib. 12. Metaph. c. 7.* Et. non intensione vel vigore infinitam. Jam porro: si cadit infinita Dei virtus seu potentia, cadit quoque infinita ejus essentia. Et. Deus apud Aristot. non erit ens infinitæ essentiæ.

§. 31. Verùm ista Aristotelica non sunt contra Dei infinitatem. Quantum ad 1. illud non est ad rhombum. Negat quid. Aristot. infinitam virtutem in magnitudine, utpote quæ naturalis intellectus est expers; non autem negat in re, sive in Ente intellectus participe, quale est primus Motor, qui pro lubitu motum vel retardare, vel impellere potest. Resp. ad 2. Aristot. quidem negat l. d. plures posse esse Mundos, non verò ob defectum potentiæ divinæ, sed ob determina-

minationem voluntatis divinæ, utpote quæ non multos, ſed unum duntaxat, condere Mundum conſtituerit, ceu *lib. de Mun. ca. 5.* videre eſt. Conf. *l. 1. de Cœl. c. 8. & 9. t. 90. ſqq.* Ad ſeq. Ariſtot. locum *(ex l. 2. de Cœl. c. 6.)* reſp. ſimiliter; *aliud* eſt, habere determinatam, h. e. limitatam virtutem agendi, *aliud* eſt, liberè ſe determinare ad actionem aliquam. Non prius, ſed poſterius intendit Philoſophus, h. e. primus Motor ſic determinavit (determinatum voluit) motum primum, non aliter ac ſicut aliorum corporum motûs, juxta ſpecies ſuas, determinavit. Atque ſic potentia Dei, quæ in ſe illimitata eſt, determinatè ſe habet reſpectu motuum in corporibus, quibus Deus diſtribuit atque dedit poteſtatem movendi, quomodo voluit, nimirum cuilibet certam aliquam & determinatam, ſpeciei convenientem.

§. 32. Neque tertium objectum aſſequitur mentem Philoſophi. Ex eo enim, quòd primus Motor æternùm movet, non colligenda eſt tantùm virtus æterna movendi, ſed etiam, & quidem potiſſimùm, ejusmodi virtus ſeu potentia, quæ à nulla alia dependeat, quæque adeò non duratione tantùm, ſed etiam perfectione infinita ſit. Et quamvis videri poſſit, atque obverti, ad iſtiusmodi motum potentiam alicujus in exiſtendo perpetuò durantis finitam ſufficere; tamen non ſolùm infinitatem in duratione, verùm quoque in perfectione, quæque à ſeſe ſit & ab alio quocunque independens, ſibi ſufficiens, illimitata & interminabilis, Philoſophum intellexiſſe, manifeſtum facimus.

§. 33. Supponimus 1. durationem infinitam non eſſe niſi Entis infiniti, quale eſt Deus; 2. potentiam Entis infiniti non eſſe niſi infinitam. Inde emergunt hæ propoſitiones: 1. Ens infinitæ durationis eſt quoque infinitæ eſſentiæ; 2. Ens infinitæ eſſentiæ eſt quoque infinitæ potentiæ. Nonne ex hypotheſi Ariſtotelica prodit infinitas Dei? Nim. movens infi-

finitæ durationis est Ens infinitæ essentiæ, adeoque infinitæ potentiæ. Imò porrò 3. Ens & movens æternum non est, nec potest esse aliud, nisi Ens infinitæ essentiæ. Sed Deus Aristoteli est ens & movens æternum. Er. Deus Aristot. est Ens infinitæ essentiæ. Deniq; 4. ens & movens æternum non est, nec potest esse nisi ens à se & independens. Hoc autem non est, nisi ens infinitæ essentiæ atque potentiæ, quale Deus est. Nec aliud ens æternum & independens vel Scriptura, vel Natura novit, præterquam Deum.

Articulus VI.

De Dei Omnipræsentia.

§. 34. Aristoteles Dei præsentiam ad Cœlum restringit, dum eum in Cœlo esse, *in lib. de Mun. ca. 6.* statuit, ajens, *haut quaquam Divinitati consentaneum esse, ut Deus in inferioris Mundi rebus intersit*, idque exemplô Regis declarat: *quapropter*, inquiens, *si è dignitate Regis minimè foret, Xerxem administrare cuncta, ipsisq; operibus faciendis præsentem esse, longè id nimirum minùs Deo convenit; quare augustius id decentiusq; existimandum est, Deum summo in locô esse collocatum.* Et cum docuisset *l. 8. Phys. c. 10. t. 84.* duas potissimùm in universo esse partes, in quibus Deus maximè esse videtur, nempe Medium & Circumferentiam, quæ totius Sphæræ principia sunt; statuit, Deum esse in Mundi circumferentia, ubi primus Orbis rapidiori vertigine circumrapitur.

§. 35. Ut ex Aristot. doctrina hic struendus veniat syllogismus: Cujus Entis præsentia restricta est ad certum πȣ̃, illud non est omnipræsens. Sed Dei præsentia (juxta Arist.) restricta est ad certum πȣ̃, nempe ad Cœlum; Er. Deus (juxta Aristot.) non est omnipræsens. Verùm resp. neg. Minorem quæ ex Aristot. non probatur. Et si ista argumentatio, ita illimitatè accepta, procedit, similem ex Scripturis SS. conficere potes. Etenim hæ ipsæ Deum esse & habitare in Cœlis

lis, non semel affirmant. *Psal. 2. v. 4.* dicitur, *Deus habitans in Cœlis. Ps. 115. v. 3. Deus noster in Cœlo. Psal. 123. v. 1. Ad te levo oculos meos, qui habitas in Cœlis. Esa. 66. v. 1.* ipse Deus dicit: *Cœlum est solium meum.* &c.

§. 36. Hìc uti in Scriptura S. non dicitur Deus in Cœlo esse, quòd ibi ut in loco sit; sed quòd majores & excellentiores ejus ibi appareant effectus; ita quoque de Aristotele judicandum est. Ita Thomas *Com. in cit. l. 8. Phys. t. 84. Dicendum est, quòd dicitur primum movens in aliqua parte sui mobilis, non per determinationem suæ substantiæ, sed per efficientiam motus, quia ex aliquâ parte sui mobilis movere incipit, & ideò potiùs dicitur esse in Cœlo, quàm in terra, & potiùs in Oriente, unde incipit, quod non potest intelligi secundùm aliquam affixionem Motoris illius ad partem determinatam mobilis, cum non sit aliqua determinata pars mobilis semper in Oriente, sed quæ nunc est in Oriente postmodùm est in Occidente. Et sic patet, quòd dicitur virtus movens in Oriente per influentiam motus, & non per determinationem suæ substantiæ.*

§. 37. Sed inquis, non velle Aristotelem, Deum esse ubique per entitatem & substantiam suam, sed tantùm per operationem & potentiam, quâ omnia conservat & gubernat. Id quod ex ejus contextu *d. l. de Mun. ca. 6.* percipere est. Ita enim habet, interprete quidem Budæo: *Summam & primam sedem Mundi Deus sortitus, ea de causa supremus* (ὕπατος) *salutatus est, &, ut inquit Poëta, in summo culmine universi Cœli suum habet ipse domicilium situm & collocatum. Maximè verò vim ejus sentit, numineq́; ejus ante omnia fruitur id corpus, quod proximè eum situm est, tum quod secundum ab hoc situm habet, & unumquodq́; deinceps, prout situm ordo ad nostrum usque locum constitutus est. Quò fit, ut & terra & terrena omnia quàm longissimè à Divinitatis adminiculatione abscedunt, tàm infirmitate summa sint ipsa concinnitatisq́; sibi consentanea ma-*

xime expertia, atq; ideò multò tumultu exagitata. Atq; cum ita sit numen divinum naturâ suâ comparatum, quoquò ut versus permeet, nimirum ea, in quibus ipsi versamur, ac nobis superiora, pro eo, quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, ejus opitulationem quoq; sentiunt. Proinde id præstabilius esse censemus, Deoq; tum decentius, tùm magis consentaneum, ita de eo opinari, ut dicamus, potestatem illam in Cœlo sedes suas habentem incolumitatis causam rebus universis præstare, iis quoq; quæ longius remota sunt.

§. 38. Verùm stat responsio antec. §. 35. data. Aristotel. tribuit Deo sedem in Cœlo, non quòd ipsum alibi non esse sentiat; sed quòd, cùm ubique sit, in Cœlo peculiari modô præsentiã suam ostendat. Id quod ex ipso patet Philosopho. Nam cum l. d. dixisset, Deum ideò ὕπατον esse dictum, quòd suam sedem in supremo Cœli culmine habeat, mox addit: *quoniam Numen naturâ ita comparatum est, ut διὰ πάντων omnia permeet*, (N. B. omnia permeat, superiora & inferiora, &c.) *non solùm ea, in quibus nos versamur, sed etiam nobis superiora, pro eo, quantus est accessus ad Deum, vel abscessus ab eo, ejus opitulationem quoq; sentiunt.* Per *accessum* verò & *abscessum* non intelligit propinquitatem & distantiam localem, ceu putant aliqui, sed dignitatis & perfectionis.

§. 39. Deinde Aristot. non simpliciter negat Dei concursum ad quasvis operationes, quæ in hoc inferiori fiunt mundo, etiam vilissimas; sed hoc tantùm sensu negat, quòd ipse solus eas non exerceat, quemadmodum putabat, ipsum solum primi orbis motum, absque ministerio aliarum causarum, efficere; sed potiùs, quòd eas perficiat ministeriô causarum secundarum, in quo similis sit Regibus terrenis, qui negotia regni non ipsimet soli, sed per ministros suos exequuntur, quantumvis intereà dissimilis in eo sit, quòd nihilominus per se ac immediatè cum omnibus concurrat, iisque

per

per essentiam suam sit præsens, omnia quippe permeans, &c. Relinquitur igitur, Omnipræsentiam Dei ratione essentiæ suæ Aristoteli quoque (ex principiis quidem, quæ lumine naturæ nota sunt) cognitam atque perspectam fuisse. Confer ea, quæ suprà *sect. 1. art. 2. Propos. 14.* §. *100. sqq. p. 37.* dicta sunt.

Articulus VII.

De Dei visibilitate & invisibilitate.

§. 40. Scriptura S. de Deo testatur, quòd (1.) visus fuerit, *Genes. 32. v. 30.* de Jacobo, & *Deuter. 34. v. 10.* de Mose dicitur, quòd Deum viderint à facie ad faciem; & quòd (2.) videndus sit à cunctis beatis in altera vita: *Cernimus enim eum nunc per speculū in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem, 1. Cor. 13, v. 12. videbimus eum, sicuti est, 1. Johan. c. 3. v. 2.* Hoc verò Aristotelis Philosophia non admittit, utpote quæ nullas substantias nisi materiales & sensibiles visui subjicit. Aristoteli ergo Deus non est visibilis, quem visibilem pronunciat Scriptura S.

§. 41. Verùm solutio est facilis. Primò: Ipsa quoque Scriptura S. Deum invisibilem pronunciat, ceu monstratum suprà *part. 1. Tractatus sect. 1. art. 2. prop. 15. p 39.* Nec obstat, quòd Eadem Deum & visum fuisse, & adhuc videndum esse attestetur. Fit enim illud diversâ ratione. Quin imò alia & alia verbi (*videre*) significatio spectanda est, & nulla Scripturæ S. vel secum ipsa, vel cum Aristotele, erit pugna. Igitur deinde: *visionis* vox accipitur vel *propriè*, de visione oculorum, quæ dici potest *visio externa*; vel *impropriè*, de visione mentis, quæ dici potest *visio interna.* Quando, juxta doctrinam Aristotelis, negatur, Deum videri posse, intelligendum id de visione corporali, quæ fit oculis corporis, cujus objectum non nisi res corporeæ, & quidem coloratæ sunt. Et hæc est proprietas Physica, quam ipsa Scriptura S.

quoque observat in dictis *Exod. 33. v. 20. Rom. 1. v. 19. Coloss. 1. v. 15. Ebr. 11. v. 27.*

§. 42. Quantum verò ad dicta Scripturæ in medium citata; illud *Genes. 32. v. 30.* non loquitur de visione Dei secundùm substantiam suam, siquidem Jacobus non vidit Deum in substantia sua, sed illam speciem externam hominis, secum luctantis, qua tamen visione nequaquàm ipsum (Jacobum) Deum (Dei essentiam) perspexisse dici potest. In altero dicto *Deuter. 34. v. 10.* planè nihil de visione. In Fontibus est verbum ידע quod *novit* significat, neutiquàm *vidit*. Et de visione corporali vel oculari dictum loqui non posse, testatur illud *Exod. 33. v. 20.* ubi Deus ad Mosen: *non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & vivet.* De hac re consulatur Clavis Flacii in verbo *videre.*

§. 43. Hactenus de Deo viso; videndus autem in altera Vita non visione externâ sive oculorum, sed visione internâ, sive mentis, quæ erit cognitio perfectissima, qualis quidem in hominem cadere potest. Id quod vel ex phrasi potest colligi, quando nimirum dicitur, *cernendum esse Deum à facie ad faciē.* At verò Deus nō habet faciem propriè. Er. neq; videbitur secundùm faciem propriè. Er. nec oculis corporis. Notat verò *facies Dei* ipsam essentiam Dei, adeoq; visio Dei cognitionem essentiæ Divinæ, id quod in altero dicto exprimitur, quando dicitur; ὀψόμεθα αὐτὸν, καθὼς ἐστι; *videbimus eum, sicuti est*, h. e. quomodo se ejus habeat Essentia, tunc cognoscemus.

§. 44. Ut res hæc fiat dilucidior, producemus de ea judicium Dn. D. Friderici Balduini νῦν ἐν τοῖς ἁγίοις, quod dedit in Epist. quadam ad Dn. M. Cotzibuvium, Scholæ Quedlinburgensis quondam Rectorem. Adponimus autem integram Epistolam.

Viro Clarissimo & Doctissimo

DN. M. JOHANNI COTZIBUVIO, Scholæ Quedlinburgensis Rectori vigilantissimo, Amico suo magnopere honorando, plurimumque dilecto.

S. P. in Domino. In quæstionis istius decisione, Clarissime Vir, Amice honorande: An Sancti Deum in alterâ vitâ visuri sint oculis corporeis, an intellectûs, nihil muto. Etsi enim eam in prælectionibus meis in priorem epist. ad Corinth. ex professo non tractavi, sed cognatam quandam; Semper tamen in ea cum Clarissimis Theologis, veteribus & recentibus, opinione fui, nunquam oculum creatum, licèt clarificatum, ad essentiam Dei ἀόρατον pertingere posse: Nulla enim inter ista duo est proportio: nec ullus in Scripturâ textus, qui contrarium probet: & quotiescunque Scriptura collationem instituit inter visionem hujus & futuræ vitæ, non id fit respectu organi visionis, sed respectu quantitatis. Nam imperfectioni confert perfectionem, quæ erit in alterâ vitâ perfectissima, quanta quidem in creaturam cadere potest, eodem semper manente organo visionis, quô Deum in hac vitâ adspeximus. Ita namque etiam de Jacobo, de Moyse, de parente Gedeonis & ipso Gedeone scribitur, quòd viderint Deum de facie ad faciem Gen. 33. v. 10. Exod. 33. v. 11. Num. 12. v. 6. Jud. 6. v. 22. 13. v. 22. quod tamen oculis corporis nemo tribuerit: sed illustrior revelationis modus hac phrasi indicatur.

Ejusdem sententiæ est Augustinus epist. 112. cap. 9. & lib. 4. de Symbolo cap. 3. Theoph. & Ambros. in cap. 13. prioris ad Cor. &c. Consentio ergò tecum, vir Clarissime, in omnibus, nec quidquam habeo, quod in Scripto tuo desiderem: Omnia enim pia atque erudita sunt, & si quæ contrarium afferuntur, facilè refutari possunt. Hæc ad tuas festino

nô calamô, cui propter occupationes meas ignoscas, officiosè rogo: teque cum tuis omnibus in Domino valere jubeo. Witebergæ ad 21. Junii, Anno Christiano 1616.

Tuus in Domino

Frid. Balduinus D.

Articulus VIII.

De Vita Dei.

§. 45. Scriptura S. de Deo testatur, quòd non dormiat, *Ps. 121. v. 4.* Quia verò Deus Arist. est ζῶον, *lib. 12. Met. c. 7.* ideoq; juxta ipsum, somnum Deo inesse, vel, Deum nunc dormire, nunc vigilare, consequitur; hoc siquidem utrumque animalibus commune esse, *in lib. de somn. & vigilia c. 1.* docet. Contrà 1. quomodo Aristot. Deo vitam tribuat, suprà explicuimus. 2. Aut ista propriè accipiuntur de Deo, aut impropriè. Propriè Deo neque somnus, neque vigilia tribui potest. Nec tribuit Aristoteles. Nec id colligi potest aut evinci ex ejus hypothesi, rectè acceptâ.

§. 46. Non enim Aristoteles (1.) Deum vult esse tale ζῶον, quod sit corpus vivum sensu præditum; sed, quod est vivens intellectuale simplex, cui intelligere sit esse. Vita enim Dei, quanta quanta est, intellectualis est, ex *d. l. 12. Metaph. c. 7.* Ubi ita tradit: *Vita* (Deo) *inest, siquidem intellectus operatio vita: ille verò est actus: actus verò per se illius vita optima & perpetua est. Dicimus itaq; Deum vivens sempiternum optimumq; esse.* Nec (2.) Deus, juxta Aristot. vivit ita, ut interdum vigilet, interdum dormiat, quomodo homo vivit, quando nunc vigilat, nunc oculis somnum videt. Cum enim somnus sit primi sensorii ligatio, ut operari non possit, ceu docet Arist. *l. de S. & V. c. 3.* In Deo autem quia nullum est sensorium, nec ligatio sensorii fieri queat, nec somnum in eum cadere posse consequitur.

§. 47. Tribuit verò Aristot. Deo vigiliam (*non dormire*)

re) impropriè acceptam, & hoc ipso SS. Literis se consentientem reddit, quando *in 2. Magn. Mor. ca. 15.* ait: *est jactatus de Deo hujusmodi sermo. Nam quoniam bona cuncta obtinet Deus, ac sibi sufficiens est, quid faciet? οὐ γὰρ καθευδήσει, non enim dormiet.* Et sic accinit isti Psaltico, *Psalm. 121. v. 4. ecce non dormitabit neq; dormiet.*

Articulus IX.

De Scientia & Omniscientia Dei.

§. 48. Suprà in *prim. part. sect. 1. ar. 2. prop. 7. p. 41. seq.* ostendimus ex Aristotele, quòd is Deo Omniscientiam tribuerit. Obstat autem, quòd id videtur negare *l. 12. Metaph. c. 9.* sic tradens: *sive mens, sive intellectio ejus substantia sit, quid intelligit? aut enim ipsa seipsum, aut aliquid aliud? Quod si aliud, aut idem semper, aut aliud. Utrum autem differt aliquid, an nihil, intelligere bonum vel quodcunque? an verò de quibusdam ipsam etiam cogitare absurdum est. Manifestum ergo est, quod illud, quod intelligit, divinissimum est ac honorabilissimum, nec mutatur; in deterius namque mutatio fieret.* Et inferiùs: *melius est quædam non videre, quàm videre, alioqui non fuerit optimum intellectio. Seipsam ergo intelligit* (scil. Mens,) *si est quiddam, quod optimum est.*

§. 49. Ubi in ultimis verbis videtur latescere hic discursus: Si mens cognoscit omnia extra se, quamvis vilia & abjecta sint, aut etiam turpia; oportet, ut per hanc cognitionem Mens ipsa vilescat. Consequens est falsum; Er. & antecedens. Consequentia probatur: cognitio enim dependet ab objecto cognoscibili, à quo ipsa causatur. Si nunc Mens vile, aut etiam turpe objectum cognosceret, necessariò à tali objecto cognitio ejus dependeret, & consequenter necessariò vilesceret.

§. 50. Verùm sunt, qui Aristotelem dextrè explicant, cumque à contradictionis nota liberant, inter quos præci-

pui sunt Thomas *in com. sup. l. 12. Metaph. cap. 9.* Zimara *in eund. loc.* Javellus *ibid. q. 25.* Svarez *Disp. Metaph. 30. s. 15. nu. 41.* Scheibl. *l. 2. Metaph. ca. 3. ar. 2. pun. 2. num. 428.* D. Cellarius *Theol. Philos. Disp. 8. §. 10. p. 177. seq.* Slevogt. *Disp. theor. 17. §. 15. p. 382. sq.* Et quidni? cum (1.) alibi rectè de Omniscientia Dei docuerit Philosophus, & (2.) locus iste in contrarium adductus commodè exponi possit, ceu Doctorum allegatorum monumenta monstrant.

§. 51. Primò, Thomas *l. d. lect. 11.* h. m. explicat, his ipsis verbis l. d. *Considerandum est, quòd Philosophus intendit ostendere, quod Deus non intelligit aliud, sed seipsum, in quantum intellectum est perfectio intelligentis & ejus, quod est intelligere. Manifestum est autem, quod nihil aliud sic potest intelligi à Deo, quod sit perfectio intellectus ejus. Nec tamen sequitur, quod omnia alia à se sint ei ignota. Nam intelligendo se, intelligit omnia alia. Quod sic patet. Cum enim ipse sit ipsum suum intelligere: ipsum autem est dignissimum & potentissimum: necesse est, quòd suum intelligere sit perfectissimum. Perfectissimè ergo intelligit ipsum. Quantò autem aliquod principium perfectius intelligitur, tantò magis intelligitur in eo effectus ejus. Nam principiata continentur in virtute principii. Cum igitur à primo principio, quod est Deus, dependeat cœlum & tota natura, ut dictum est, patet, quod Deus cognoscendo seipsum omnia cognoscit, nec vilitas alicujus rei intellectæ derogat dignitati ipsius. Non enim intelligere actu aliquod indignissimum est fugiendum, nisi in quantum intellectus in eo sistit, & dum illud actu intelligit, retrahitur à dignioribus intelligendis. Si enim intelligendo aliquod divinissimum etiam vilia intelligantur, vilitas intellectorum intelligentiæ nobilitatem non tollit.*

§. 52. Ut hæc, Javello *l. d.* exponente, Thomæ sit sententia, quòd Deus se solum in se ipso & per propriam essentiam, alia autem à se, non in se ipsis, sed in ejus essentia conten-

tenta & repræsentata intelligat. Sed ipsa Javelli verba adscribamus: *Intentio Thomæ est*, inquit, *attribuere Philosopho, quòd loquendo de intelligere primo modo, arbitratur Philosophus, & verè, quòd Deus tantùm seipsum, in seipso, id est, per suam essentiam intelligit: Nam si aliud intelligeret per seipsum, id est, per propriam speciem vel essentiam objecti cogniti, sua intellectio dependeret à specie vel essentia rei cognitæ, & sic perficeretur ex alio. Et in hoc sensu concludunt omnes rationes Philosophi, quibus probat, quod nihil extra se cognoscit; loquendo autem de intelligere secundo modo, Deus intelligit alia à se, non in seipsis, sed ut contenta & repræsentata in essentia.*

§. 53. Ab ista Thomæ & Javelli sententia à non multùm abest explicatio Zimaræ *com. in d. l. 12. Metaph. c. 9.* ajentis, *hanc esse Philophi mentem, quòd Deus se solùm intelligat formaliter & ut ens per essentiam, ita tamen ut se intelligendo, omnia alia à se distincta longè nobiliori modò, quàm ullus alius intellectus, intelligat, propterea quòd omnes perfectiones formarum unitivè contineantur in Essentia Divina, non quidem secundùm esse proprium & formale, sed nobiliori & altiori modò, quàm si secundùm formale & proprium esse repræsentarentur;* unde ait circa finem: *Sicut possidens aurum, non dicitur carere argentô, sic intellectus comprehendens mare entitatis, non dicitur ignorare rivulos, qui è mari emanant alietate & diversitate, & in mare revertuntur & adunantur majori virtute & robore, quàm sunt in seipsis.*

§. 54. Atque ex hoc fundamento respondetur ad argumentum ex Aristot. anteà formatum. Nimirum distinctio Thomæ hæc est: *aliquid potest intelligi* dupliciter, *in seipso*, & per seipsum, h. e. per propriam speciem, vel per propriam suam essentiam, sicut e. g. canem intelligo per propriam speciem canis, & Intelligentia seipsam intelligit per propriam essentiam; *2. aliquid intelligitur in altero intellecto*, ut

quando intelligo effectum ex causa intellecta, aut partem in sive, ex toto intellecto, veluti quando video hominem, ut Paulum, in speculo viso. Deus se cognoscit priori modô, tanquàm objectum primarium, alia autem extra se modô posteriori, tanquàm objecta secundaria. Nunc patet, quòd Deum omnia cognoscere, tanquàm objecta primaria, ut ab eis dependeat & perficiatur, utiq; vile ac indignum Deo reputatur; at verò ipsum omnia, etiamsi vilia, cognoscere, tanquàm objecta secundaria, cognitione superiori & independente, id non solùm non est vile & indignum Deo, sed potiùs est ex abundantia perfectionis. Slev. *l.d.* ubi plura videantur.

Articulus X.

De Libertate Dei in agendo.

§. 55. Videtur hîc Aristot. Scripturæ S. contrarius esse, utpote qui Deum ex necessitate naturæ agere statuit. Et citari solent in hanc rem *l. 9. Metaph. c. 9. t. 17. lib. 12. Metaph. c. 6. t. 30. l. 8. Phys. c. 1. t. 7. & 8.* & *c. 6. t. 52.* item *l. 2. cæl. c. 3. t. 17.* Verùm quia loca ista partim nō sunt satis manifesta, partim minùs ad rhombum; quin prætereà nec evidens aut urgens aliquod argumentum inde nexum videamus, non videmus, cur nos moveri eisdem patiamur?

§. 56. Ante omnia dilucidationis causâ unam atque alteram distinctionem præmittimus. I. *Ex necessitate naturæ agere*, dupliciter potest intelligi: 1. quando agens ex solo naturæ impetu, citra omnem intellectus & voluntatis actum in rem fertur, quomodo est, quando ignis calefacit, urit, &c. 2. quando, etsi per intellectum & voluntatem agat, non tamen ex delectu & libertate agit, nec actionem suspendere aut inhibere potest, quomodo e. g. Deus seipsum intelligit amatque. Non *prior*, sed *posterior* modus h. l. accipiendus, & de Deo negandus venit.

§. 57. II. Distingvimus inter *actiones Dei immanentes* & *trans-*

transeuntes. Quantum igitur ad necessitatem naturæ, quam Aristot. *l. 12. Metaph.* adstruxisse videtur, illa intelligenda erit de actionibus Dei immanentibus, ut, quando Deus se ipsum intelligit atque vult sive amat. Quemadmodum enim ipse necessarium Ens est, ac prætereà summa veritas, summa bonitas; ita quoque necessarium intelligens est, & necessarium volens. Cui accedit, quòd intellectus, intellectio, intelligibile, appetitus, appetitio & appetibile in Deo simplicissimè unum, & maximè necessaria sunt. Insuper seipsum intelligere, ac seipsum velle sive amare, propria Dei vita, & essentialis operatio est, quæ proptereà maximè necessaria esse videtur, ex *l. 12. Metaph. c. 7. & 9.* Et talem necessitatem, vel taliter necessitatem naturæ in Deo ibidem, ubi proprius de primo Ente tractandi locus est, procul dubio intellexit Aristoteles.

§. 58. Quantum verò ad *actiones Dei transeuntes*, eas vel maximè, quæ ad Mundi opificium, ad Cœlestium corporum motum, ad specierum conservationem, ac denique ad communem naturæ perfectionem & ornatum spectant, illæ necessitatem naturæ præ se ferre videntur, ut eam quoque Aristotelem intendisse & statuisse videatur, ceu ex *cit. l. 8. Phys. c. 1. t. 7. & 8.* item *c. 6. t. 52.* & *l. 2. Cæl. ca. 3. t. 17.* videri cuipiam poterat. Sed videntur illæ actiones necessitatem naturæ, præ se ferre, quam præ se ferunt aut arguunt minimè; & omninò maximèque dubium est, Aristotelem intendisse aut statuisse talem necessitatem, nec ex citatis ll. ea firmiter probari poterit. Continent enim illa hypothesin valdè controversam, valdèque obscuram, de æternitate motus, quam seq. sect. expeditam dabimus, & exinde patebit hujus dubii solutio.

§. 59. Aliàs, motus cœlestium, motusque primus, quē Aristot. vocat, supponit ordinem naturæ à Deo institutum, secundùm quem Deus in naturæ operibus agit, etiam Ari-

stotele consitente, *l.1.de Mun.c.6.* Deinde, ordo naturæ supponit liberrimam Dei institutionem, contra quam nihil ullibi Aristoteles. Quando igitur Deus statuitur agere secundùm ordinem naturæ à se institutum, non est dicendus agere ex necessitate naturæ, siquidem agit, sicut decrevit ipse, atque in Natura instituit. Hoc confirmant ea, quæ tradit Philosophus *d. c. 6. lib. de Mund.* Ubi sic: *Quippe qui* (Deus) *in immobili collocatus, omnia movet & circumagit, ubicunq; & quomodo vult,* (ὅπε βέλεται καὶ ὅπως) *idq; diversis in formis atq; naturis.* Sanè, si Deus omnia movet fovetque, ubi, quando & quomodocunque vult, ipse non ex necessitate naturæ operabitur; Prius verò de Deo asseruit Aristoteles; posterius igitur de Deo senserit statueritque (nimirum ipsum non ex necessitate naturæ operari) consequitur.

§. 60. Petimus ex superabundante argumentum ex Dei αὐταρκείᾳ, ex *libr. 2. Magn. Mor. ca. 15.* & *l. 7. Politic. c. 1.* ubi Deus Aristoteli statuitur αὐταρκής, & nullius rei externæ indigens, sed ex sua natura omnem boni & appetibilis rationem in sua essentia inveniens. Unde infallibiliter sequitur, Deum, juxta Aristotelem, nihil extra se necessariò expetere, ac proinde nihil secundùm absolutam aliquam naturæ necessitatem operari. Conf. illa, quæ suprà *sect. 1. ar. 2. prop. 19. p. 45. sq.* de libertate Dei in medium proposuimus.

Articulus XI.

De causa efficiente Mundi.

§. 61. Scriptura SS. Deum causam efficientem Mundi celebrat; *Genes. 1, v. 1. Psal. 146, v. 6. Esa. 44, v. 4.* At verò, juxta Aristotelem, Deus non potest causa efficiens Mundi, sive, creationis mundi statui, siquidem causam efficientem vult esse principium motus ac mutationis, *l. 2. Phys. c. 3. t. 29.* Et in *l. 9. Metaph. c. 1. t. 1.* potentiam activam definit, quòd sit principium transmutandi in alio quat. aliud. Creatio autem non est actio cum motu aut mutatione, sed omnem excludit; nec potentia creativa Dei est potentia transmutandi aliud in quantum aliud. Inde datur argumentari sic: 1. quodcunque

cunque agens non agit cum motu, illud non est causa efficiens alicujus. Deus non agit cum motu. Er. non est causa efficiens alicujus. Er. nec est causa efficiens Mundi. 2. Quodcunque agens non est præditum potentiâ transmutandi aliud in quantum aliud, illud agens non est effectivum alicujus. Deus non est præditus potentiâ transmutandi aliud in quantum aliud; hæc enim agentis naturalis est, non supernaturalis, quale est Deus. Er. Deus nullius rei est effectivus. Er. nec Mundi.

§. 62. Verùm contrà, Deum etiam Aristoteli esse Creatorem Cœli & Terræ, vel, quod eôdem recurrit, causam efficientē Mundi, suprà *sect. 1. ar. 3. proposit. 2. p. 49. seq.* ostendimus. Et qualem, quæso, causam intellexit, quando dixit *l. 12. Metaph. c. 7. à Deo Cœlum & tota natura dependet.* Item, quando *lib. de Mun. c. 6.* ait, *per Deum omnia esse constituta?* &c. Resp. efficientē intellexit. Quantum verò ad loca ex Aristot. allata, illa hîc sunt impertinentia. Consuevit Aristot. potentiæ activæ & causæ efficientis vim Physicô more & modô explicare, non, quòd nullam aliam potentiam aut causam efficientem præter Physicas esse putârit, cùm *d. l. 9. Metaph. c. 1.* concedat, dari aliam potentiam activam præter eam, quæ per motum agit; sed, quòd aliæ ex physicis causis facilè innotescant. In specie verò (1.) ad locum *2. Phys. c. 3.* dicimus, Aristot. ibid. rebus Physicis explicandis deditum fuisse. Ut Physicus ergo docuit, & intra Physicos limites se continere voluit. (2.) In altero verò loco, *9. Metaph. c. 1. t. 1.* geminam facit potentiam activam; unam sine motu, alteram cum motu. *Potentia namq; & actus*, inquit, *latiùs patent, quàm illa, quæ secundùm motum solùm dicuntur.* Juxta Aristot. ergo *gemina causa efficiens; quædam* agens cum motu & mutatione, *quædam* agens sine motu & mutatione, &c.

§. 63. Utraque hæc causa in primo rerum molimine conspicua est. Ibi enim quædam sine motu fiebant, ut Angeli, materia prima, & anima rationalis; quædam cum motu, ut plantæ *(progeminet terra herbam virentem*, &c. *& protulit terra herbam virentem, Gen. c. 1, v. 11. & 12.)* & animalia; *producant aquæ reptile animæ viventis seq. v. 20. producat terra animam viventem* (animal vivens) *in genere suo, ver. 24. &c.* Quantum verò ad Mundi hujus visibilis constitutionem; distinguendum inter naturæ basin & primam atque fundamentalem (ita loquendo) ejus originem, quæ est in materiæ primæ creatione, quæ productio fuit sine omni motu; & inter succeda-

neam

neam rerum juxta ſpecies ſuas productionem, quæ ſanè ſine motu facta non eſt. Progerminatio enim e. g. formaliter eſt motus, &c.

§. 64. Atque ex his patet reſponſio ad prolata argumenta. Ad 1. limit. Major: quodcunque agens non agit cum motu, quat. non agit cum motu, illud non eſt cauſa efficiens phyſica, ſumendo *phyſicum* uti opponitur *ſupernaturali*. Atqui Deus creans, quat. creans, non agit cum motu. Er. Deus creans quat. creans non eſt cauſa efficiens phyſica, ſumendo *phyſicum*, uti opponitur *ſupernaturali*. Sic conceditur argumentum; alias 1. Major abſolutè & illimitatè accepta, falſa eſt, etiam juxta Ariſtot. qui potentiam ſine motu agentem concedit *d. l. 9. Metaph. c. 1.* & propter inſtantias ab Ariſtotele ſuggeſtas, ut de materia prima, quam ingenerabilem pronunciat *l. 1. Phyſ. c. 9.* & tamen à Deo dependere docet *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* 2. Minor quoque excluſivè accepta falſa eſt. Ceu enim dictum antè, Deus eſt agens partim & primò ſine motu, partim cum motu, ſiquidem partim creans eſt, partim generans, &c.

§. 65. Ad 2. reſp. ſimiliter. Breviter; neg. Minor. Deus partim ſine transmutatione agit, dum producit aliquid, ut quando creavit Angelos, materiam primam & animam rationalem, partim cum transmutatione, ut quando produxit animantia ex terra, quando ex aqua vinum effecit, & ſi hominibus filios ex lapidibus produceret. Nota autem, quòd *transmutatio* ſit duplex; *naturalis*, quæ fit naturaliter, h. e. naturali modô & à cauſa naturali; & *ſupernaturalis*, quæ fit ſupernaturaliter, ſive ſupernaturali modô & à cauſa ſupernaturali, qualis Deus eſt. Et per hoc cadit addita probatio.

Articulus XII.

De Dei gubernatione & Providentia.

§. 66. Monendum hîc, quòd Pet. Hurtad. de Mendoza *Diſp. Metaph. 18. ſ. 1. §. 2.* juxta Ariſtot. omnia ſublunaria fortunâ hominibus evenire, Deumque horum diſtributorem non eſſe, ſtatuat. Locus autem, ex quo Jeſuita hunc Ariſt. errorẽ exſculpere ſatagit, habetur in *l. 2. Magn. Mor. c. 8.* ubi Philoſophus tradit, *Vero conſentaneum non eſſe, Deum malorum curam habere*; ὐκ εἰκὸς τὸν θεὸν τῶν φαύλων ἐπιμελεῖσθαι.

§. 67. Sed ex illo loco iſte, quem Jeſuita Ariſtoteli tribuit, error elici haut quaquam poteſt. Diſputat ibid. Philoſophus, an bona fortuna (εὐτυχία) ſit εὔνοια καὶ ἐπιμέλεια παρὰ τοῦ θεοῦ, h. e. benevolentia & cura Dei; quod negat, propterea quia etiam malis proſpera fortuna contingit, quibus peculiariter Deus benè velle videretur, ſi bona fortuna Dei benevolentia & ſingularis cura eſſe ſtatueretur, vel admitteretur, quod ipſe, qui rationem, ob quam Deus interdum malis benè eſſe permittit, non intellexit, pro abſurdo habet, ajens, *Veriſimile non eſt, Deum malorum curam habere*, ſc. tantam, ut illis proſperam concedat fortunam, cùm potiùs bona bonis, & mala malis rependat. Hoc autem qui dicit, non ſtatim aſſerit, omnia ſublunaria hominibus evenire fortunâ, nec Deum illorum diſtributorem eſſe. Equidem Deum, juxta Ariſtot. *l. 10. Ethic. c. 9.* curam hominum & humanarum actionum habere, negari haut poteſt; ipſum verò tantam malorum curam habere, illisq; ita benè velle, ut proſpera illis concedat, hoc Ariſtot. ſibi imaginari haut potuit. D. Cellarius *in Theol. Phil. Diſp. 11. §. ult. p. 263. ſq.*

Tantum.

SECTIO II.

Cosmologiam, & præcipuè vexatissimam de Ortu & æternitate Mundi controversiam exhibens.

§. 1.



Anc rem in Sacra Genesi descriptam habemus, ut in ea meritò acquiescamus. Cui accedunt alia Scripturæ dicta, ut *Johan. 17. v. 5.* ubi inquit Salvator noster ad Patrem cœlestem: glorifica me Pater apud temetipsum gloriâ, quam habui apud te *priùs, quàm hic Mundus esset.* Et *Prover. 8. v. 22.* inquit Sa-*quidquam faceret à principio.* Et *Psal. 90. v. 2. Priusquàm mon-*pientia : *Dominus possedit me in initio viarum , antequam* *tes fierent, & terra formaretur, à seculo & in seculum tu es Deus.*

§. 2. Scripturæ Sacræ in hoc contrarius esse putatur Aristoteles, & quidem duplici nomine; tùm (1.) quòd creationem Mundi inficias iverit, *l. 1. de cœl. c. 10. & 12.* & ex nihilo nihil fieri asseveraverit, *l. 1. Phys. c. 4. t. 33 seq. & ca. 8. t. 71. seq.* tùm (2.) quòd Mundum ab æterno extitisse crediderit tradideritque, hujusque sui asserti multas probationes reliquerit, quæ inferiùs longô ordine recensebuntur. Quod ipsum negotium (utrumque quidem) gravissimis olim disputationibus ansam præbuit. Inventi enim, qui exinde pugnam inter Theologiam & Philosophiam, ingeniosè magis, quàm verè, commenti fuêre. Juventi primò, qui ex eo dissidium utriusque elicere voluerunt, quòd illa, juxta manuductionem Scripturæ, doceat, ex nihilo aliquid factum esse, hæc verò ex Aristot. statuat, ex nihilo nihil fieri posse. Cujus certaminis primum autorem fuisse Danielem Hoffmannum, Theologum Helmstadiensem, testatur B. Grauer. *in Lib. de Un. Verit. in initio.*

§. 3. Deinde, nota est controversia inter Fortun. Crel-

lium, Philosophum quondam Heidelbergensem, & alios Viros doctos, qui isti se opposuerunt, ceu refert Keckermannus *in System. Phys. l. 7. eoq. ultimô, p. m. 1049. seq.* qui ita argumentum fuisse Crellium scribit: quidquid non est generatum, illud est æternum. Mundus non est generatus. Er. Muudus est æternus. Hanc conclusionem veræ Religioni adversari dixerunt alii. Imò eò adactus fuit Crellius, ut diceret, non ideò cum Theologia Physicen pugnare, si aliquid Physicè verùm, Theologicè falsum sit, uti expresè posuit *in com. sup. l. 8. Phys. c. 1. p. 323.* quo sanè absurdius dicere nihil potuisset. Pugnant enim omninò Physica & Theologia, si illa dicit, hoc in suo foro verum esse, hæc contrà dicit, hoc in suo foro non esse verum. Proditque isto pactô duplex, eaque opposita, veritas.

§. 4. Sed missô hoc, heîc loci impertinente, ad ipsum nostrum negotium revertimur, asseverantes, insignem Aristoteli fieri injuriam, ejusque dicta à plurimis non rectè intellecta expositave fuisse. *A plurimis*, dicitur; pauci enim sunt, qui hoc ejus dogma, aut ejus de ipso mentem rectè fuêre assecuti. Hos paucos inter præcipuus est Thomas *in 1. par. Sum. quæst. 46. ar. 1.* Cui à Dd. Conimbr. annumerantur Albertus *in 8. Phys. tr. 1. c. 1.* Udalricus *in Sum. l. 4.* Argentinas *in 2. dist. 1. q. 2. ar. 1.* quibus omninò adjungendus Toletus, optimus Aristot. Interpres, & fidelissimus Thomæ sectator, *in com. sup. l. 8. Phys. c. 2. q. 1.* qui judicârunt, Aristotelem (1.) hanc de æternitate Mundi sententiam, non ut demonstratam, sibi persvasisse, sed ut probabilem, Dialecticis argumentis, agitâsse, ac (2.) præsertim eos coarguere voluisse, qui Mundum Physicô motu genitum fuisse, statuerunt.

§. 5. Quod posterius nos probamus & acceptamus, ostensuri, non initium omne, sed initium & ortum Physicum Mundo Aristotelem denegâsse, id quod quidem *ex par.*

1. Tract.

1. Tract. hujus sect. 2. ar. 1. videre est. Ibi enim duo de Arist. ostendimus; 1. quòd cognitam habuerit actionem creativam, sive δύναμιν, eique respondentem ἐνέργειαν seu actionem cum motu non communicantem, adeoque à subjecto independentem, ex *l. 9. Metaphys. c. 1.* Nec obstat, quòd nuspiam Aristot. usus fuerit vocibus κτίζειν, κτίσις, κτίσμα, &c. suo enim more modòque loquens, hoc dogma exposuit, sicut videmus, alios quoque Scriptores, tàm Sacros, quàm prophanos, propriò suo stylô, propriâque phrasi doctrinas suas exponere. Ostendimus 2. Aristotelem coguitam quoque habuisse creationem Mundi, secundùm illa, vel, ratione eorum, quæ ejus substantiam, sive substantialem rerum productionem concernunt. Primò enim materiam primam, utpote primam & toti Universo substratam naturam, *(l. 1. Phys. t. 69. lib. 2. Phys. t. 10. lib. 3. Cæl. t. 67.)* à Deo dependere docet, *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* ipsam verò non genitam tradit, *lib. 1. Phys. c. 9. t. 82. lib. 2. Phys. t. 25. lib. 3. Metaph. c. 4. t. 12.* adeòque vult, ipsam sine motu ortam, h. e. creatam esse, id quod colligitur ex *l. 9. Metaph. c. 1.* Ex hac verò materia, ex hoc communi subjecto omnia corpora secundùm species & naturas suas coustituta esse, tùm *in lib. 1. Phys. cap. 7. & 9.* tùm *in l. de Mun. c. 5. & 6.* docuit.

§ 6. Nunc verò & deinceps hoc agendum est, ut loca illa Aristotelis, quæ cum Scriptura S. hac in parte pugnare videntur, videamus, Aristotelemque ab imputato dissensu liberemus. Sunt autem ante omnia discernendæ quæstiones. Plures enim hîc involvuntur. Primò latet hæc: *an mundus cœperit, annon?* Deinde, latent hæ: *an cœperit ab æterno, an verò in tempore?* Si non cœpit mundus, & si nullum habet initium, æternus est; item, si cœpit ab æterno, æternus quoque est. Tertiò, cum *duo* sint modi incipiendi esse, sive oriendi; *unus* per creationem, *alter* per generatio-

nem; *quomodo Mundus cœperit*, quæritur, *an* creatione, *an* generatione? Ut sic pateat, esse distinctas quæstiones, (1.) de Mundi duratione, & in specie, de ejus æternitate, & (2.) de ejus ortu, qui ponit ejus existentiam. Sicut autem duratio supponit existentiam rei, cui hunc vel illum specialem durationis modum adscribimus, ita hæc de æternitate Mundi quæstio supponit illam de Ortu Mundi. Hanc (de Ortu Mundi) tractat Philosophus *l. 1. de Cæl. c. 10. 11. & 12.* illam (de æternitate Mundi) *l. 8. Phys. c. 1. & 2.* quibus alia loca jungi solent.

§. 7. Et de se patet, longùm diversas esse quæstiones: an Aristoteles statuerit, Mundum esse æternum, vel, ab æterno? &, an cognoverit atque agnoverit creationem Mundi, an verò eandem negaverit? Quid si enim Mundus ab æterno fuisset creatus? Siquidem id nullam involvit repugnantiam. Nec ullus ullam monstravit, aut unquam monstrabit. Et, si Deus ab æterno Mundum potuit creare, ipsum quoque ab æterno creari posse consequitur, non aliter sanè, ac si Deus potest ex lapidibus facere filios hominum; er. hi ipsi fieri possunt ex lapidibus. Prius autem nemo, nisi qui omnipotentiam Dei negare voluerit, negaverit. Imò, sive tempore, sive ab æterno factum Mundum dicas, quæstio manet, an creatione cœperit, an verò generatione? Sicut &, sive creatione, sive generatione cœpisse mundum asseveres, quæstio agitari potest, an fuerit creatus (an verò fuerit generatus) in æternitate, an in tempore?

§. 8. Hæc ergò ex Aristotele tractaturi, nimirum (1.) *an & quomodo Mundus esse cœperit?* (2.) *quando esse cœperit, an* in tempore, *an* ab æterno; duos constituemus articulos; in utroque pugna Philosophi cum Scriptura S. è medio tolletur, & è contrario suavis consensus ostendetur.

Articulus I.

In quo loca Aristotelis, quæ contra creationem Mundi esse videntur, considerantur, & cum Scriptura S. conciliantur.

§. 9. Duo potissimùm sunt, quæ, quantum ad hoc, ex Aristotele opponi possunt; primò, quòd ex nihilo nihil fieri tradidit *lib. 1. Phys. c. 4. t. 33. lib. 1. de gen. & cor. t. 12. & 22. lib. 7. Metaphys. cap. 7. cir. fin.* quo dicto creationem negare videtur. Syllogismus est hic: quicunque dicit & docet, ex nihilo nihil fieri posse, ille creationem mundi, imò creationem omnem negat. Sed Aristot. dicit docetque, ex nihilo nihil fieri posse. Er. Aristot. creationem Mundi, imò creationem omnem negat, & hoc ipso Scripturæ S. (quæ docet, ex nihilo aliquid factum esse) contradicit. Deinde, Scripturæ S. omninò contrarium & adversum est, quòd *in lib. 1. de Cœl. cap. 10. & 12.* ortum Mundi negat, & cœlum non esse factum asserit.

§. 10. Verùm contrà (1.) si ita nudè & crudè Autorum dicta accipienda, de illis quando judicium instituitur, facilè quis ex ipsis Scripturis SS. contradictionem eliciet, quæ tamen nihil minus quàm contradictio erit. (2.) *Aliud* est, Aristotelem in certo aliquo loco de professo doctrinam aliquā proponere, eamque argumentis communire & stabilire; *aliud*, me, te, vel alium ex Aristot. aliquam propositionem, quomodocunque acceptam, excerpere, & cuidam conclusioni probandæ applicare. Sanè ad prius est respiciendum, non ad posterius. Sæpè enim fit, ut in disputationibus hinc inde cumulentur Autorum (tàm Sacrorum, quàm prophanorum) dicta, & ad aliquid probandum adhibeantur, quod tamen minimè probant, cum de alia re loquatur dictum, de alia re conclusio probanda.

§. 11. (3.) Id quod inpræsentiarum quoque fieri vide-

mus. Quæstio est de *creatione*; & dictum Aristotel. loquitur de *generatione*. Scopus Philosophi fuit, naturalem generationem ejusque principia declarare, & ostendere, nullam rem, quæ fit generatione, ex nihilo fieri sive generari. Physicus Physica tractat, & Physicè exponit. Igitur Physicè quoque intelligendus est. Deinde phrasis Philosophi observanda venit. In Græco est verbum γίνεσθαι, quod Metaphrastes reddidit per verbum *fieri*. Vox autem γίνεσθαι apud Philosophum citatis in locis non accipitur generaliter, pro quovis fieri; sed de modo fiendi Physico, qui in Scholis dicitur *generatio*, ut sensus dicti Aristotelici sit: *nulla res naturalis fit* h. e. *generatur ex nihilo*.

§. 12. Sed libet ipsum hac de re audire Philosophum. Ita autem is in *d. l. 1. Physʃ. c. 7. t. 57. hoc igitur modô nos dicimus, primò de omni generatione* (περὶ πάσης γενέσεως) *pertractantes*. Et *seq. t. 68.* πόσαι μὲν οὖν ἀρχαὶ τῶν περὶ γένεσιν φυσικῶν, καὶ πῶς πόσαι, εἴρηται, h. e. *quot igitur principia sunt naturalium rerum, quibus generatio competit, & quonam modô sunt tot, explicatum fuit*. Unde qostquam in allegato *cap. 4. t. 33.* bis dixerat *ex nihilo nihil fieri*, subjungit *seq. t. 34. ex entibus quidem, atque ex hisce quidem, quæ insunt, fieri quoque atque oriri* scilic. res naturales; ἐξ ὄντων μὲν καὶ ἐνυπαρχόντων γίνεσθαι.

§. 13. Hisce sic expositis, quid ad propositum Syllogismum sit respondendum, patet. Nimirum Major limitanda h. m. 1. quicunque dicit, ex nihilo nihil fieri omninò vel omni modô, ille tollit creationem; sic Major quidem vera est, sed negatur Minor, cujus contrarium jam fuit expositum: 2. quicunque dicit, ex nihilo nihil fieri, h. e. generari, ille tollit creationem; sic Major falsa est, & Minor vera. Verbô; Aristot. ut Physicus loquitur *de fieri rerum naturalium. Hoc autem fieri est generari.* Nulla verò res naturalis generatur, aut generari potest ex nihilo, quia generationi semper

sub-

subſtat (ſubſtare debet) ſubjectum aliquod, *d. l. 1. Phyſ. c. 7. t. 62. 63. 65.* &c. Nihil igitur hactenus Ariſtot. contra Scripturam S. aut contra Religionem Chriſtianam.

§. 14. Quantum ad alterum Ariſtot. locum *ex 1. Cæl. ca. 10. & 12.* ſimili ſe res habet modô. Primò, ſi Ariſtot. Mundo ortum omninò & ſimpliciter denegaret, non ſolùm cum Scriptura S. ſed quoque ſecum ipſe pugnaret, qui alibi multoties Mundo univerſæque Naturæ dependentiam à Deo tribuit, nempe *l. 1. Metaph. c. 2. & l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* &c. Deinde, Ariſtot. *in d. l. 1. Cæl. c. 10.* de Mundo generationem, vel, quòd non cœperit generatione, negat. Inſpiciemus locum, & ibid. propoſita ordine ſpectabimus. Primùm *in d. c. 10.* proponit quæſtionem de ortu Mundi, ejusque tractationem continuat *ſeq. c. 11.* & abſolvit *ca. 12.* eôque ultimô. Uti dictum, *in c. 10.* ζητούμενον proponit, variasque de ortu Mundi ſententias in medium affert; *in ſeq. cap. 11.* quædam ad quæſtionis deciſionem facientia ſubjungit; *in ul. verò cap.* ſuam ſententiam exponit, Mundoque ortum & interitum denegat, eumque ingenerabilem & incorruptibilem eſſe ſtatuit.

§. 15. Not. quòd dictum: *ingenerabilem & incorruptibilem.* Ariſtot. ut Phyſicus de ortu & interitu Phyſico agit, & in eo refutat Veteres, quòd Mundum genitum ſtatuerint, quamvis aliter alii & alii. Primò ita proponit quæſtionem, *in t. 101.* λέγομεν μετὰ ταῦτα πότερον ἀγέννητος ἢ γεννητὸς, καὶ ἄφθαρτος ἢ φθαρτὸς, *utrum (mundus) ingenitus, an genitus, &, an incorruptibilis, an corruptibilis,* &c. Et *t. 102.* pergit: γενόμενον οὖν ἅπαντες εἶναι φάσιν, ἀλλὰ γενόμενον οἱ μὲν ἀΐδιον, οἱ δὲ φθαρτὸν, &c. οἱ δὲ ἐναλλὰξ, ὁτὲ μὲν οὕτως ὁτὲ δὲ ἄλλως ἔχειν φθειρόμενον, h. e. *quidam viciſſim, interdum hoc, interdum alio modô ſeſe habere ſubeuntem corruptionem,* &c. Haſce ſententias d. l. examinat & diſcutit, & *in cap. ult.* in negativa perſiſtit ſententia, Mundum genitum non eſſe, ſive per generationem phyſicam non cœ-

piſſe,

piſſe ſtatuens, ratione adhibitâ, quòd nullum genitum poſſit eſſe incorruptibile & æternum, *t. 134.* cujusmodi corpus cœlum eſſe, antè in illius *libri ca. 3. t. 19.* dixerat. Imò cum ingenitum & incorruptibile (ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον) ſe invicem conſequantur, aut invicem reciprocentur, ita ut omne ingenitum ſit incorruptibile, & viciſſim, omne incorruptibile ſit ingenerabile; concludit, Mundum nec genitum fuiſſe, nec interitui obnoxium eſſe.

§. 16. Imò Ariſtotelem non de quovis, ſed de Phyſico incipiendi modo (ſive, de ortu Phyſico) intelligi velle, patet ſtatim ex *cap. 10. t. 103.* ubi Orphei, Heſiodi & Platonis ſententiam, mundum eſſe genitum, ſed fine cariturum, ſtatuentium, oppugnat geminô argumentô, primò ſic colligens: id quod aſſeritur, vel aſſerendum de aliqua re, ita ſe habere debet, ut in omnibus aut pleriſque locum habeat, alioquin tanquam improbabile exploditur. Sed inpræſentiarum videmus, quæcunque generantur, interire, aut ſaltem interitui obnoxia, ſive corruptibilia eſſe. Non igitur pronunciandum erat, Mundum fuiſſe genitum, & tamen non interire. Deinde ſic: ſi Mundus genitus eſt, ſive generatione cœpit; Ergo ex aliquibus principiis. Hæc verò aut potuerunt ſe aliter habere ante Mundi ortum, aut non. Si hoc; Sicut anteà ex iis non conſtituebatur Mundus, ita nec poſteà conſtitueretur. Si illud, principia mutari poterunt, Mundusque ex illis conſtans mutationem ſubibit, atque adeò in interitum ruet. (Loquitur autem, ceu antè dictum, de interitu naturali, quem Mundo vult denegatum.)

§. 17. Denique *d. cap. 10.* reprobat opinionem Democriti & Anaxagoræ, ponentium Mundum corruptibilem, ſicut quodlibet aliud generatorum in Natura, quæ poſt corruptionem non redeunt, vel non reparantur. Ita autem diſcurrere videtur Philoſophus: Mundus, qui unus eſt & finitus,

tus, si genitus est, non ex nihilo, sed ex aliquo præjacente fuit conditus. Vel ergo id, ex quo conditus fuit, poterat generationi subjici, vel non. Si hoc; non ergo ex eo factus & constitutus est; Si illud; ergo ex illo Mundus reparari poterit, si intereat.

§. 18. Et tandem accedens ad explicandam propositam quæstionem de Mundi ortu & interitu *in cap. 12.* ostendit, quòd impossibile sit, aliquid esse genitum, & tamen esse incorruptibile, aut ingenitum & corruptibile, totusq; in eo est, ut monstret, Mundum non esse genitum, vel non cœpisse generatione, aliàs interiret. Jam verò Mundus non interit, sed durat, permanet & perennat. Syllogismus foret hîc: Nullum genitum potest esse incorruptibile & perenne. Sed Mundus est incorruptibilis & perennis. Er. Mundus non est genitus.

§. 19. Atque sic constat procul dubio, nec voluisse Aristotelem, nec rationibus ex ipso in medium afferri solitis probari posse, Mundum (quà primam suam originem) non fuisse factum sive productum à Deo per creationem, uti nos Sacræ docent Literæ. Hoc voluit: Mundum non fuisse productum, sive non cœpisse per generationem Physicam; id quod nos quoque, qui Scripturam Sacram ducem sequimur, dicimus atque asserimus, ut in hoc doctrinæ capite nulla inter Oracula Scripturæ & effata Aristotelis sit dissensio, sed optima convenientia & harmonia.

§. 20. Atque verbô ut tandem dicamus, quod res est; Aristot. in talibus suis dictis vult, imò debet, intelligi φυσικῶς, de ortu naturali, & de causa naturali, quæ, ut sic, per potentiam naturalem agit, adeoque semper subjectum præexistens requirit, & propterea nihil potest producere ex nihilo. Aliàs Aristoteli, præter causam & potentiam naturalem, quæ cum motu agit, alia causa, aliaque potentia datur, quæ sine subjecto agere atque operari potest. Et hæc ex non ente pot-

est producere ens, ceu *sup par. 1 sect. 2.* monstratum fuit. Ut sic tandem argumentemur: quidquid (de sententia Aristot.) à Deo dependet, & tamen (juxta ipsum) non dependet per generationem, (intellige, ratione primæ originis, quâ, ita loquendo, basis Naturæ constituta est.) id juxta Aristotel. à Deo dependet per creationem, quamvis expressè non dixerit. Sed Cœlum & tota Natura à Deo dependet, *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* & tamen non dependet per generationem, *l. 1. de Cœl c. 12.* & alibi multoties. Er. Cœlum & tota Natura (ratione sui primi initii, seu ratione primæ originis) dependet à Deo per creationem. Verbô: Materia prima, quæ est basis atq; fundamentum Naturæ, non fuit genita, etiam Aristoteli, sed creata, totique naturæ, tanquam commune formarum subjectum, præstituta seu substrata. Aristot. igitur S. Scripturæ, quantum ad hoc, consentientissimus.

Articulus II.

De initio Mundi, an in aliquo temporis initio is cœperit, uti ex Sacra Historia habemus; an verò ab æterno extiterit, ceu Aristotelem statuisse, vulgò putatur atq; statuitur?

§. 21. Liber Geneseos docet, in principio Deum creâsse Cœlum & terram. In principio, intellige, temporis. Ante creationem enim Mundi non erat tempus, ut propterea etiam minùs rectè proprieque dicatur Mundus in tempore conditus. Nec id volunt Sacræ literæ. *In principio*, dicunt, neutiquam *in tempore*. Principium temporis, uti dictum, notant. Principium autem temporis non est tempus, sicut principium lineæ non est linea. Imò cùm creatione atque ordinatione corporum cœlestium incipiebat tempus, nimirum cùm motus cœli inciperet. Non igitur erat tempus ante ista.

§. 22.

§. 22. Hic Mosi opponi solet Aristoteles, & quidem ejus VIII. liber Physicorum, ubi motus æternitatem statuit. Cui accedunt alia Aristot. loca, in quibus materiæ primæ, Cœli, motus atque temporis æternitatem adstruit, quæ loca aliàs nota sunt, & inferiùs ordine recensebuntur. Syllogismus inde nascitur hic: quidquid est æternum, illud nullum habet initium sui esse, vel, quod idem est, illud non incepit esse. Sed materia prima, Cœlum, &c. sunt æterna. Er. non habent initium sui esse, quod cum Sacra Genesi pugnat.

§. 23. Ad hujus difficultatis enodationem quædam prælibanda sunt. Primò sciendum, Aristot. quæstionem hanc proposuisse, & de professo tractâsse *in lib. 8. Physic.* in quo duo præcipuè agit Philosophus; 1. de æternitate motus, 2. de inventione primi Motoris tractat. Initium Libri est de æternitate motus: pòst ad considerationem primi Motoris transit. Deinde, ita incipit *cap. 1. t. 4. Ex his ordiamur, Motum itaq; rei mo-quæ anteà in Physicis à nobis sunt definita. bilis, quatenus est mobile, actum esse dicimus. Quare res esse, quæ unoquoq; motu moveri possunt, necesse est.* Et mox: *Quare necesse est, ut antè ustile sit, quàm uratur, & urendi vim habeat,* (hoc est, urens sit) *quàm urat. Igitur & hæc ipsa* (mobile & movens) *esse necesse est; aut si non erant, aliquando facta esse, aut esse sempiterna.* οὐκοῦν καὶ ταῦτα ἀναγκαῖον ἢ γενέσθαι ποτὲ οὐκ ὄντα, ἢ ἀΐδια εἶναι. Quem discursum continuat, & in seqq. frequenter utitur phrasi ἀεὶ εἶναι, h. e. *semper esse.*

§. 24. Tertiò, Ad hujus rei διάκρισιν annotare juvat sequentia. (1.) non ad nudam phrasin, sed ad subjectam præprimis materiam est respiciendum. Cum enim voces persæpè sint ambiguæ, & multa significent, earum significatio ex contextu eruenda est, & in ea significatione accipienda, quę materiæ, de qua tractatio est, congruit. Pertinetque huc distinctio inter *significationem* terminorum *formalem*, qua ratio

formalis termini exprimitur, & *materialem*, qua vox ad subjectam materiam accommodatur, aut accommodata invenitur, h.e. quando vox ita significat, uti subjectæ materiæ conveniens est. Exempla in S. Pagina extant plurima, ut quando dicitur, *Dæmones credunt, Jacob. 2. v. 19.* ubi significatur fides malignorum spirituum, qualem quidem habere possunt, nempe historica; & quando ibidem Apostolus affirmat, *Abrahamum justificatum fuisse operibus*, non de justificatione coram Deo loquitur, quæ per solam fit fidem, sed de ea, quæ coram hominibus, qua nimirum ostenditur fides (adeoque justificatio) ex operibus, *d. Jac. 2. v. 18. seq.*

§. 25. Idem inpræsentiarum observandum venit; non nudis vocibus, aut phrasibus inhærendum, sed subjecta materia præprimis consideranda, contextus inspiciendus, loca similia quærenda, &c. ut verum de proposita controversia judicium dare queamus. Et quia æquivocatio semper est genitrix errorum, aut perversarum interpretationum, ideò termini in Aristot. occurrentes probè sunt explicandi, & quomodo (quo significatu) quolibet in loco adhibeantur, dispiciendum. De quare uberrimè σὺν θεῷ in Tract. de legendo & intelligendo Aristotele. Hujus præcepti memores, terminos ab Arist. hoc in negotio adhibitos explicabimus, si unum adhuc monuerimus.

§. 26. Notandus (2.) tritus Canon Logicus: *talia sunt prædicata, qualia permittuntur à suis subjectis*. Explicabimꝰ unicô exemplô, Deus dicitur sanctus; Angeli dicuntur sancti; Christi fideles dicuntur sancti; sed aliter & aliter, juxta certum & proprium competentiæ modum, sive, quomodo cuique convenit, aut competit. Similiter: Deus dicitur æternus, cœlum dicitur æternum, motus æternus, quomodo cuilibet istorum æternitas competere, aut tribui potest.

§. 27. Nunc denique voces, quibus Philosophus hoc in

in negotio utitur, spectabimus. Verbum γίνεσθαι (*fieri*) quod attinet, sciendum, illud tum *generaliter* accipi, tum *specialiter*. *Generaliter*, uti significat *fieri simpliciter*, præscindendo, an generatione fiat res, an creatione: *specialiter* de fieri physico, sive de generatione physica. Cum verò materia hæc sit Physica, & Aristot. ut Physicus loquatur, de modo fiendi physico ipsum loqui, facilè intelligitur. Ut proinde sensus quæstionis sit; *An motus sit ortus physicè*, sive, *an habeat initium physicum, an verò semper fuerit in Natura?* Hoc intendit, hoc asserit Philosophus, motum semper fuisse, & semper esse, dum Natura est.

§. 28. Quòd verò juxta Arist. cœperit Natura, & cum ea motus, ex ipso probamus. Quidquid juxta Aristot. effectivè dependet ab aliquo, id, juxta ipsum hoc ipso, quo dependet, incipit esse. Atqui Cœlum & tota Natura, juxta Aristot. effectivè dependet à Deo, *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* Er. tota Natura juxta Aristot. hoc ipso, quo dependet à Deo, incepit esse. Juxta Aristót. ergo & motus incepit esse, nimirum à Deo dependens hoc ipso, quo tota Natura ab ipso dependet, quamvis id nullibi dixerit expresè. Cœpit verò tùm motus Aristoteli, quando à Deo omnia constituta & ordinata fuêre, ex *lib. de Mun cap. 5. & 6.* Ut pateat, Aristot. solummodò fieri physicum intellexisse, & de motu negâsse.

§. 29. Similiter est cum voce ἀΐδιος. Dupliciter enim illa vox accepta & usurpata est Aristoteli; *Physicè* videlicèt & *Metaphysicè*. *Hoc posteriori acceptione* excluduntur principium, finis & successio, quomodo Deus æternus est & dicitur, *l. 12. Metaph. c. 7. Illo modô* dicitur ἀΐδιον, quod vel tantùm est ἄφθαρτον physicè & naturaliter, uti Cœlum, vel, quod ἄφθαρτον simul & ἀγένητον est, uti materia prima. Quando Cœlum, motus, & tempus Aristoteli æterna dicuntur, non priori illo, sed altero modó id intelligendum venit, & quando inquit,

quit, *motum & tempus semper fuisse*, τὸ *semper* non est extendendum extra naturam, ut sensus sit; quàm diu natura viguit vigebitque, tàm diu fuêre motus & tempus, eruntque.

§. 30. Ut autem hac de re certi simus, ecce! ex Aristot. eam deducemus, idque paucissimis. Primò quidem ex oppositione. Nimirum opponit Philosophus æternitatem, quam nos Physicam diximus, generationi & corruptioni, vel, genito sive generabili & corruptibili, ceu ex *l. 8 Phys. c. 1. t. 5.* cernere est, ubi *movens & mobile aut genita, aut æterna* (ἀΐδια) *esse* pronunciat. Sic porrò *l. 2. de gener. animal. c. 1.* nec non alibi, *corpora naturalia* dispescit in *æterna* (seu perennia, h. e. quæ per omnia secula, quibus stat & durat Mundus, durant, nec intereunt) & *caduca* seu interitui exposita. Ἐπεὶ γάρ ἐστι τὰ μὲν ἀΐδια καὶ θειότατα τῶν ὄντων, τὰ δ' ἐνδεχόμενα καὶ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι, h. e. *Cum enim rerum aliæ sint sempiternæ summèque divinæ*, (uti est Cœlum, *l. 1. de Cœl. c. 2. t. 13.* ubi *divinior substantia his universis* dicitur; similiter *l. 2. Cœl. ca. 1. t. 2.*) *aliæ, quæ possint esse & non esse*, h. e. quæ generabiles & corruptibiles sunt, &c. Similiter in *l. 1. de part. anim. c. 1.* ὑπάρχει δ' τὸ μὲν (τὸ δ' ἐξ ἀνάγκης) ἁπλῶς τοῖς ἀϊδίοις· τὸ δ' εἰ ὑποθέσεως, καὶ τοῖς ἐν γενέσει πᾶσιν, h. e. *inest id ipsum (necessarium) rebus quidem æternis simplici absolutâque ratione, sed caducis etiam gignendisque omnibus ex suppositione tribuitur.* Insuper *l. 1. de gen. & cor. ca. 6. t. 43. cum autem de materia & hisce, quæ nuncupantur elementa, primò dicere oporteat, an sint, nec ne, & utrum unumquodque eorum sempiternum* (ἀΐδιον) *sit, an ortum subeat sive generetur*, &c. Et *l. 2 de gener. & cor. c. 9. t. 51.* tradit, *tot numero & genere principia eadem esse in generalibus & corruptibilibus, quæ in æternis primisque* ἀϊδίοις τε καὶ πρώτοις, scil. cœlestibus corporibus. Jung. *l. 3. Metaph. ca. 4. t. 12. & 15.* item *l. 9. Metaph. c. 9. t. 17.* & *l. 12. Metaph. c. 6 t. 29.* & *l. 14. Metaph. c. 2* ubi proponitur quæstio; *an possibile sit æterna* (intelligit autem è rebus natu-

ralibus ἄφθαρτα) *ex elementis componi?* Et *lib. de long. & brev. vitæ cap. 3. quæ* (ſcil. corpora) *contrarium habent, æterna non ſunt,* ἀΐδια ᾗ ἐνοις ἐναντία ἐστὶν, ἔ.

§. 31. Deinde, patet idem ex modo probandi Ariſtotelico. Alterum enim per alterius remotionem probat. Sic *l.1.Cæl.c.3.t.19. hæc cum ſint,* (h.e. cum elementa invicem ſint contraria) *patet, neceſſariò generationem eſſe, propterea quòd nihil eorum perpetuum* (ἀΐδιον) *eſſe poteſt.* Hoc jam probat; *agunt enim inter ſe contraria ipſa, mutuoq́; à ſe patiuntur.* Et *l. 1. Cæl.c.9.t.92. Cælum æternum eſſe* ſtatuens, probat, *quòd neq́; generationem neq́; corruptionem ſubire poſſit.* Et *d.lib.c.3.t.19. Cælum ingenerabile & incorruptibile eſſe* aſſerit, & ex conſequente ἀΐδιον ſeu *æternum, ſeq.t 22.* eâ de ratione, quòd *Natura ipſum contrariis exemerit.* διότι μὲν ἔν, inquit, ἀΐδιον (ſcilic. ὀυρανὸν ſive Cœlum) &c φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων.

§ 32. Utitur autem Philoſophus non ſolùm voce ἀϊδίου, verùm quoque αἰῶνος & ἀεὶ εἶναι. In *lib. 1. de Cæl. c.9.t.100.* ita habet: *Per eandem etiam rationem finis unius Cæli, & finis is, qui tempus totum, infinitumq́; continet ſemper, ſempiternitas eſt,* αἰών ἐστιν, ἀπὸ τοῦ ἀεὶ εἶναι *à ſemper eſſendo appellatione ſumtâ.* Conf. *l.12. Metaph. c.6 t.29.* ubi de motu dicitur, quòd ſemper fuerit, ἀεὶ γὰρ ἦν. Et *in 2. de Cæl. t 1.* utrumque conjungit: ἀλλ᾽ ἐστὶν (ſcilic. ὁ ὀυρανὸς) εἷς καὶ ἀΐδιος, ἀρχὴν μὲν καὶ τελευτὴν ὀυκ ἔχων τοῦ παντὸς αἰῶνος h. e. *ſed Cælum eſt unum ac ſempiternum, principium & finem æternitatis non habens.*

§. 33. Eſtque admodùm notabile, quòd Ariſtot. *in lib. de Mun. c.5.* poſtquam ſucceſſivam & ordinatam Mundi conſtitutionem deſcripſit, his ipſis verbis: γῆν τε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε, καὶ ἥλιον καὶ σελήνην καὶ τὸν ὅλον ὀυρανὸν διεκόσμησε διὰ πάντων διήκουσα δύναμις, ἐκ τῶν ἀμίκτων καὶ ἑτερείων, ἀέρος τε καὶ γῆς, καὶ πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν σύμπαντα κόσμον δημιουργήσασα, h. e. *terram omnem & mare omne, ætherem, ſolem, & lunam, & totum Cælum*

lum vis una per omnia pertingens, exornavit (expolivit, ordine constituit) *è diversis naturis impermixtis, aëre, terra, igne & aquâ, Mundum achitectata;* quòd, inquam, mox subjungit, *solem & lunam reliquaq; item sidera intra spatia sua exactissimè moveri ex uno seculo in alterum seculum,* ἐξ αἰῶνος εἰς ἕτερόν αἰῶνα. Ubi si propriè & strictè dictam sempiternitatem intelligeret Philosophus, sanè sibi non constaret, pugnantia quippe asserta ponens eodem in loco, eodem in capite, quod de ipso cogitare aut affirmare non possumus.

§. 34. Ita Aristoteles suo stylô, suâque phrasi, sicut alii Scriptores, tàm Sacri, quàm profani, suo gaudent stylô. Hæc tandem genuina est doctrina Aristotelis, Physica, inquam, doctrina, adeoque physicè accipienda. Non igitur extra limites physicos extendenda. *Tò semper esse*, seu *sempiternum*, hîc non est extendendum ultra & extra Naturam. Quàm diu Natura viget, tàm diu motus & tempus. Cœperunt ista cum Natura, & desinent cum Natura. Quomodo igitur & quatenus Natura æterna, ita & eatenus motus atque tempus sunt æterna, sive, quàm latè se extendit duratio Naturæ, tàm latè se extendit continuatio motus atque temporis. Sed Naturæ duratio se extendit ex uno seculo in alterum. Igitur & continuatio motus atque temporis se extendit ex uno seculo in alterum. Hæc Physica sunt; ultrà Scientia Naturalis non progreditur.

§. 35. Accedit his, quòd Scriptura S. eod. modô, quô Aristot. de rerum naturalium duratione loquitur. In *Psal. 88, v. 35. semen eius in æternum manebit.* Et *ver. seq. 36. thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum.* Et *Psal. 148, v. 6. statuit ea* (Cœlum, & aquas, quæ desuper Cœlo sunt, *ver. 4*) *in æternum, & in seculum seculi.* Ubi glossa Osiandri: *i. e. Deus non modò per Verbum creavit firmamentum & corpora cœlestia, sed eadem conservat usq; ad finem*

Mundi.

Mundi. Sumitur cr. vox עולם ibi quodammodò latiùs. De terra ait Ecclesiastes *ca. 1, v. 4. terra in æternum stat.* In fontibus extat לעולם. Notat hîc glossa Osiandri, *dici, quòd vicissitudo viventium & morientium duret usq; ad finem Mundi. Æternitas enim in Scripturâ sæpè longum admodùm tempus significat.* Adde deniquè *Baruch. cap 3, v. 32. præparavit* (Deus) *terram εἰς αἰῶνα χρόνον, in æternum tempus.* Hîc quia propriè tempus æternum non est, vocem *αἰῶνος* seu *æterni* latiùs sumi consequitur, pro longa nimirum duratione, qualis est rei, cui tribuitur, nimirum temporis.

§. 36. Si jam Scriptura S. tali modô, latiori nimirum, accipit vocem *æterni*, quid fiet de nostro Aristotele? Maximè quòd Scriptoribus Græcis usu venit, voces *ἀϊδίου καὶ αἰωνίου* adhibere ad significandum diuturnum quid. Sic Plutarchus de Pericle: *ἀΐδιος δόξα, æterna h. e. immortalis gloria. οἱ μὲν ἀπ' ἀΐδιον εἶχον πόνον, perpetuum laborem.* Sic *Plato l. 2. de Republ. μέθη αἰώνιος, perpetua ebrietas.* Sic *αἰώνιος δόξα, æterna gloria,* &c. Sic se res habet quoque, quando Aristot. in lib. de Cœlo ait: *κινούμενος κίνησιν ἀΐδιον, perpetuo motu currens.* Videantur Lexica.

§. 37. Atque hæc, utpote quæ mentem Aristotelis satis superque aperiunt, ejusque effata optimè declarant, sufficere poterant expediundo huic negotio; verùm nos ad loca Aristotelis, & ad argumenta inde formari solita, singulatim respondebimus, ne quid in hac nostra *ἐργασίᾳ* desiderari possit. Primò: repetimus generalem Syllogismum, *supr.* §. 22. propositum, & resp. Primò quidem, si absolutè rem præsentem intueamur, neganda simpliciter Major propositio. Nec enim repugnat, aliquid æternum esse, & tamen cœpisse sicut nec repugnat, aliquam creaturam esse ab æterno. Et quamvis ibi nulla intercedat prioritas temporis, (cum hoc ne quidem necessarium sit) intercedit tamen prioritas natu-

ræ, quæ omninò ſufficit. Qua de re conſulantur Scholaſticorum monumenta, & noſtri Slevogt. b. m. *Diſp. 1. de Creat. §. 4. ſq.* Deinde: nos, reſpicientes ad noſtrum Ariſtotelem, limitamus argumentum h. m. 1. Quidquid juxta Ariſtot. eſt æternum, latiùs accipiendo vocem, & juxta certam accommodationem, illud nullum habet initium ſui eſſe; negatur propoſitio Major, conceſsâ Minore; 2. Quidquid juxta Ariſtot. eſt æternum, ſtrictè & juxta proprietatem Metaphyſicam, illud nullum habet initium ſui eſſe; negatur Minor propoſitio, quam quidem Ariſtotelo-Maſtyges ſeqq. probare nituntur.

§. 38. Objiciunt I. quòd Ariſtot. materiam primam ſtatuerit æternam, *in l. 2. Metaph. c. 2. t. 7.* ubi ſic: *impoſsibile eſt, primum corrumpi, cum ſempiternum ſit.* ἀδύνατον τὸ πρῶτον ἀΐδιον ὄν, φθαρῆναι. Per *primum* autem hîc nihil aliud intelligitur, quàm materia prima, quæ eſt primum cujusque ſubjectum, *ex l. 1. Phyſ. c. 9. t. 82.* Et in *ſeq. l. 3. c. 4. t. 12. Si nihil eſt ſempiternum, neq́; generationem eſſe poſsibile eſt.* Materiam ergo primam, tanquàm primum generationis ſubjectum, æternam eſſe oportet. Id inſuper probatur ex *d. l. 1. Phyſ. t. 82.* ubi *materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem* (ἀγέννητον ϗ ἄφθαρτον) pronunciat. Igitur ipſam æternam eſſe oportet. Illud enim quod ingenerabile & incorruptibile eſt, æternum eſt.

§. 39. Reſp. Conceditur & effatum Ariſtotelicum, quô materia prima æterna eſſe aſſeritur, & illatum ex *lib. 1. Phyſic.* ſi eo ſenſu accipiantur, qui jam modò fuit expoſitus. Qui idē ex cit. jam *l. 3. Metaph. cap. 4.* erui & monſtrari poteſt. Ita habet integer textus. *At ſi nihil eſt ſempiternum, neq́; generationem eſſe poſsibile eſt. Neceſſe enim eſt aliquid eſſe id, quod fit, & ex quo fit, & ultimum horum ingenitum eſſe. Siquidem ſtat, & ex non ente fieri impoſsibile eſt.* Not. quòd hîc *ultimum* dicit,

antè

antè *(in l. 2. Metaph. c. 2. t. 7.)* nuncupavit *primum*. Est enim materia prima, diversâ ratione, & primum, & ultimum subjectum. Sensus igitur est; Perpetuum esse oportet illud in Natura, quod omni substat generationi & corruptioni. *Perpetuum in Natura*, dico, non perpetuum *simpliciter*. Prob. quodcunq; principiũ naturale ingenitũ est & incorruptibile, omniq; generationi & corruptioni substat, illud perpetuum esse oportet. Sed materia prima est ingenita & incorruptibilis, omnique generationi & corruptioni substat. Er. ipsam perpetuam esse oportet. Aliàs ne quidem omni substaret generationi & corruptioni.

§. 40. Dictum, *si eo sensu accipiantur, qui nuper fuit expositus.* Nec enim alio possunt, siquidem non aliam (vel, non alio modô) æternitatem tribuit materiæ Philosophus, quàm eam, vel eô modô, qui antè fuit expositus. Nec alius monstrari potest. Id quod ex additâ confirmatione percipitur facilimè. Philosophus enim hoc ipso, quô materiam primam ingenerabilem & incorruptibilem esse asserit, non negat, illam cœpisse, ut illam ab omni æternitate extitisse existimaverit; sed negat ipsam generatione cœpisse, itemque corruptione (puta, quæ generationi opponitur) desinere. Verbô: quod est primum generationis, & ultimum corruptionis Subjectum, illud *(1.)* generatione ortum esse haut potest; supponeret enim subjectum prius, adeoque non esset primum generationis subjectum; &c. nec *(2.)* illud corruptione desinere potest, sic enim non esset ultimum subjectum, &c. Et propterea perpetua seu æterna dicitur materia.

§. 41. Quantum verò ad propositionẽ, *id quod ingenerabile & incorruptibile est, æternũ est*; illa, absolutè accepta, neutiquã invenit locum. Imò quamvis eam limites & restringas: quidquid intrinsecè & naturâ suâ est ingenerabile atque incorruptibile, illud est æternum propriè & strictè; falsa est proposi-

 tio,

tio, falſitatemque evincit unica de Angelis inſtantia. Hi enim intrinſecè & naturâ ſuâ tùm ingenerabiles ſunt, tùm incorruptibiles, neutiquam verò ſtrictim, vel juxta proprietatem Metaphyſicam, æterni; ſed, ſi æternos eos ſalutas, eo modô id intelligendum venit, quo tribui Angelis æternitas poteſt, nimirum latiori. Similiter eſt cum materia prima. Hanc ingenerabilem atque incorruptibilem eſſe oportet, alioquin, cum neceſſe ſit, aliquod ſubjectum omni generationi præexiſtere, & omni corruptioni ſupereſſe, aut daretur alia materia prior, quàm prima, aut eadem, quæ prima eſt Ariſtoteli, exiſteret ante ſui productionem, & ſuperſtes eſſet poſt ſui interitum, quod ſanè utrumque abſurdum eſt. Proptereà materiam primam æternam eſſe oportet, nimirum eô, quô dictum, modô, prout nempe Naturæ conveniens eſt.

§. 42. Objiciunt II. Ariſtot. Cœlo tùm æternitatem, tùm ingenerabilitatem & incorruptibilitatẽ tribuiſſe, & quidem pluribus in locis. Reſp. eadem eſt, quæ ad priorem objectionem, & fundatur *in lib. 1. de Cæl. ca. 11. & 12.* & *in l. 2. de Cæl. t. 1.* ubi ſic: *Cælum igitur univerſum neq; ortum eſſe, neq; corrumpi poſſe, uti quidam dicunt*, (utpote contra quos *in anteced. lib. 1. cap. 10.* diſputârat) *ſed ſempiternum eſſe, ex hiſce, quæ dicta ſunt, fidem ſumere licet.* Nimirum reſpicit ad Libri præcedentis capita ultima, in quibus cœlum nec genitum fuiſſe, nec interitui obnoxium eſſe monſtravit, ſecùs ac aliqui veterum opinati ſunt. Summam rei nos quoque diximus *diſputat. huius art. 1. §. 18. ſeqq.* & *hoc ipſo artic. 2. in Prænotabilibus, quæ omninò recolenda veniunt.*

§. 43. Quantum verò ad argumentum, quod latet: quicquid eſt ingenerabile & incorruptibile illud eſt æternum. Cœlum eſt ingenerabile & incorruptibile, *l. 1. Cæl. t. 20.* Er. Cœlum eſt æternum; Reſponſio ad præcedentem da-

ta objectionem hîc repetenda quoque; Nimirum neganda Major propositio, quæ falsa est. Præstereà, Major Aristot. loquitur de generatione & corruptione Physica & propriissimè dictâ, ceu Physicum in sua disciplina decet; id quod clarè perspicitur ex *d.l.textu 22.* ubi, *quis unquam Cœlũ vidit mutatum,* inquit Philosophus. Quæ sanè verba non de alia, quàm de Physica generatione atque corruptione intelligenda veniunt. Id autem, quod taliter se habet, seu, quod taliter ingenerabile atque incorruptibile est Aristoteli, an propterea eidem æternum propriè, sive, juxta proprietatem & rigorem Metaphysicum? Neutiquàm sanè. Sanè id nunquàm in mentem venit Aristoteli. Æternitatem intendit Physicam, h. e. talem, qualis in res naturales cadere potest, juxta loca antè in medium citata.

§. 44. Contra Minorem verò est, quòd Cœlum omninò primitùs fuit generatum, & aliquando quoq; corrumpetur. Non igitur est ingenerabile & incorruptibile. Quamvis verò Cœlum non fuerit generatum physicè, nec corrumpetur physicè, sive per causas naturales, ceu Aristot. docuit, & quidem rectè; quin tamen divinitùs seu divinâ virtute effectum fuerit, divinitùsque corrumpi ac dissolvi possit, dubium est nullum. Quod autem tale est, h. e. quod à Deo aliquando fuit productum, ab ipsoque destrui potest, id non est, nec potest esse æternum propriè & strictè, ipsi etiam Aristoteli, quidquid sit, quod is Cœlum (suo modô) æternum esse dicit statuitque.

§. 45. Obj. III. ex *d. l. 1. Cæl. c. 3. t. 22.* ubi hæc habentur: (1.) *Omnes homines de Diis existimationem habent, & universi, qui Deos esse putant, ipsum supremum locum Diis attribuerunt, propterea quòd immortale ad immortale sit accommodatum.* Vult dicere: Omnes gentes faciunt Cœlum locum, sedem atque domicilium Deorum: quòd si locus congruus

esse debet iis, quæ in ipso sunt, oportet Cœlum sempiternum esse, quemadmodum Dii æterni sunt. Præterea (2.) *in toto præterito tempore, per traditam successione memoriam posteris, non mutatum ullo modô fuisse videtur, aut in toto Cœlo, aut in suarum partium ulla.* Et statim: *quia primum corpus diversum quid à terra, igne, aëre, atq; aqua, atherem supremum locum appellârunt, à semper currendo perpetuô tempore positâ appellatione.* Hoc dicit: ex omni temporum memoria, quod quidem monumentis proditum sit, nulla unquam aut in universo Cœlo, aut in aliqua ejus parte, facta mutatio dicitur, quæ ipsum corruptioni subjectum fuisse significet. Quin etiam ipsum nomen Cœli ab antiquis impositum, hoc ipsum haut obscurè indicat; ætherem enim nominare volunt, quòd ipsum æterno ambitu circumagi viderent.

§. 46. Resp. ad 1. responsio patet ex dictis. Intelligitur æternitas restricta ad statum Naturæ. Non quàm diu Deus fuit, (fuit verò ab æterno) sed, quàm diu Deus fuit Rex Universi, uti loquitur Arist. *in l. de Mund. ca. 6.* Intueamur terrenum Regem; is pluribus antè vixit annis, quàm thronum regium occupavit. Nec Deus eget Cœlo, tanquàm sustentante & conservante, ut propterea Cœlum fuerit (aut esse debuerit) Deo coæternum; sed Cœlum indiguit (indiget) Deo, ut conservante & gubernante ipsum universamque Naturam. Nec Cœlum sedes ac domicilium Dei dicitur, quasi Deus illo indigeat ad habitationem; sed quia in eo supra cæteras creaturas vim, magnificentiam atque gloriam suam clarissimè ostendit.

§. 47. Resp. ad 2. Quòd nec in Cœlo, nec in aliqua ejus parte, ulla unquàm ejus mutatio visa aut deprehensa fuerit, id quidem arguit atq; ostendit, ipsum esse incorruptibile & ingenerabile, quomodò quidem tale esse potest, nempe, quoad motum

motum Physicum, sive, quòd nullam mutationem physicam subire teneatur, qualem quidem Arist. intelligit; non verò, quòd Cœlum Aristot. nullum omninò habeat ortum, aut nullum sui esse agnoscat initium, cum Cœlum imò totam Naturam à Deo dependere asserat *l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* Neutiquam ergo Aristoteli Cœlum est æternum cô modô, quô vulgò putatur, ipsique imputatur, sed modô longè alio, ceu quidem hactenus fuit monstratum.

§. 48. Obj. IV. ex Aristot. *l. 8. Phys. c. 1. & 2.* & ex *l. 12. Metaph. c. 6. t. 29.* ubi *motum esse æternum* statuit, pluribusque vicibus repetit. Intelligit autem motum corporum Cœlestium, quam φορὰν, h.e. lationem vocat, & primum motum, item æternum salutat, *l. 8. Phys. t. 55. seqq. & t. 61. & 76.* item *lib. 1. Cæl. t. 12.* & *lib. 2. de Ort. int. t. 55.* Si verò motus Cœlestium est æternus, non solùm Cœlum, verùm totum Mundum æternum esse consequitur.

§. 49. Eadem est responsio. De æternitate Physica intelligendum assertum Aristotelicum, quod ex phrasi Aristotelica percipi potest. Etenim τὸ ἀΐδιον explicat per ἀεὶ εἶναι, & de motu dicit, quòd semper fuerit, *l. 8. Phys. t. 1. & in seqq.* frequentissimè. Item *l. 12. Metaph. c. 6. t. 29.* Accipiendum autem τὸ *semper* de sempiternitate Naturæ, h.e. semper fuit motus, dum Natura fuit, & erit, dum Natura erit. Nō verò de æternitate Metaphysicè & strictè accepta loqui Aristot., vel saltem ex eo patet, quòd motui talia tribuit, quæ cum æternitate strictim accepta consistere nequeunt. Ut (1.) quòd motum dicit fieri in tempore, *l. 5. Physic. t. 34.* & *l. 6. Physic. t. 15. 36.* & *t. 50. 55. & sqq.* At verò motum æternum esse, strictè & Metaphysicè acceptâ voce, eundemque in tempore fieri, crassè implicat, ut talem contradictionem de Philosopho nostro nobis imaginari non queamus. (2.) Motui tribuit finitatem, nullumque motum infinitum esse tradit *l. 6. Phys. t. 69. & 91.*

& 91. sqq. item *l. 7. Phys. t. 9.* & *l. 8. Phys. t. 38.* quod de finito & infinito, prout in Natura sese habent, accipiendum. An verò, quod taliter finitum est, propriè & strictè æternum sit, vel esse possit, exactè docti judicent.

§. 50. Obj. V. æternitatem temporis, ex Arist. *l. 8. Phys. t. 10. & 11. & l. 12. Metaph.* probant. Ἀεὶ ἦν, inquit Philosophus, semper erat tempus, semperq; erit; nimirum, quàm diu viguit vigebitque Natura; quæ brevis est responsio. Imò Philosophum in hoc suo effato non sumere nomen æterni (ἀΐδιυ) strictè seu propriè, vel ex eo liquet, quòd *tempus* est duratio finita & defectibilis, *æternitas* verò, in rigore Metaphysico sumta, duratio infinita & indefectibilis, quod sanè Aristotelem non latuit. Præterea, tempus eidem (Aristot.) est affectio motus, *l. 8. Phys. t. 11.* ut etiam illud numerum motus secundùm prius & posterius esse velit, *ibid. t. 10. & 11* & *lib. 1. de Cœl. t. 99.* Quod de æternitate nullibi asseruit Philosophus. Denique, sicut motus, ita & tempus eidem finitum est, *l. 6. Phys. t. 60.* Quod verò tale est Aristoteli, quomodo eidem æternum erit, puta, juxta illum rigorem, quem prætendit Metaphysica.

§. 51. At verò, inquis, Aristoteles ista sua asserta probat *in l. 8. Physic.* ubi plures probationes affert. Quas ipsas jam ordine proferemus, & diluemus. Primò *in d. l. d. t. 4.* hæc habetur: si motus (nimir. Cœlestium) habet initium, vel mobile cœpit esse, vel non cœpit esse. Si cœpit esse; ergo per generationem cœpit, adeoque per motum. Si hoc; ergo motus ille, qui primus dicebatur, non fuit primus, sed priorem habuit. Si verò mobile non cœpit esse, sed semper fuit, inconveniens est, sempiternô tempore mobile non fuisse motum. Utrumque ergo dicas, motus & ex consequente ipse Mundus erit æternus.

§. 52. Respondet Pererius *l. 15. de reb. natur. c. 3.* hanc argu-

argumentationem ſupponere tãquam certum & indubium, creationem eſſe impoſſibilem, h.e. nullam rem ex nihilo fieri poſſe, omnemq; productionem cujuslibet rei vel eſſe motum, vel cum motu neceſſariò conjunctam. Falſum verò hoc eſſe ait, cum Cœlum de novo productum ſit non per motum Phyſicum & ex aliquo ſubjecto, ſed per creationem ex nihilo. Ita quoq; reſpondent Conimbr. *in Com. l. 8. Phyſ. c. 1. q. 4. ar. 3.* Quam quidem reſponſionem nos non acceptamus. Primò: Ariſtoteli fit injuria, hoc ipſo, quòd dicitur, ipſum creationis poſſibilitatem negâſſe. Falſum hoc eſt; contrarium nos ex ipſo oſtendimus *ſupr. par. 1. Diſp. 2.* ubi videatur. Deinde: non acceptamus, quòd dicunt illi, Cœlum (intellige, quà ſubſtantiam ſuam) cœpiſſe creatione. Corpus enim creari repugnat, ceu alibi monſtratum.

§. 53. Inde patet, quid ſentiendum ſit de alio aliorum reſponſo, nimirum Ariſtot. procedere ex inſufficiente partium enumeratione; & ita colligere debuiſſe Philoſophum: Mobile illud aut eſt ſempiternum, aut aliquando productum. Si aliquando productum, aut productum à Deo per creationem, aut à Natura per generationem. Hoc poſterius falſum eſt, propter rationem Ariſtotelis: Illud verò verum eſt, quia abſurdum illud, quod monſtrare vult Philoſophus, non ſequitur, quandoquidem creatio ſine motu eſt, adeoque prior potuit eſſe ſubjectô mobili, Jac. Martini *Cent. 3. Qq. Illuſtr. Diſp. 9. q. 5.*

§. 54. Verùm hic diſcurſus rem non conficit, nec genuinis veriſque principiis innititur. Etenim 1. primum disjunctum non procedit. Poteſt enim aliquid ab æterno eſſe, & tamen productum eſſe. Neq; creatio ab æterno repugnat. Imò, ſi Deus ab æterno potuit creare, ab æterno quoque potuit aliquid creari, adeòque creatura potuit eſſe ab æterno. 2. Quà alterum verò disjunctum, dicimus, Cœlum & ter-

ram generationi ſuum debere ortum; ſicut enim ex materia & forma conſtant iſta, ita quoque ex materia & forma fuêre producta, adeoque generata. Non verò admittitur, quòd in diſcurſu dicitur; *aut à Deo per creationem, aut à Natura per generationem*; quaſi ſola creatio Dei ſit opus, non item generatio. Natura quidẽ unum tantùm iſtorum poteſt, nimirum generare; at verò Deus poteſt utrumque, id quod vel ſola prima docet creatio; docet id quoque productio vini in Nuptiis Canæ Galileæ, quæ erat vera generatio. Erat enim productio ex aliquo, nimirum ex aqua.

§. 55. Nos verò h. m. reſpondemus. Supponendum, Ariſtotelem, ut Phyſicum, loqui de *τῷ incipere eſſe* phyſicè, ſeu per generationem phyſicam à ſe definitam, quæ cum motu, & quidem naturali, conjuncta eſt, imò ipſa ſuo modô motus eſt; neutiquam de creatione, non quòd modum fiendi ex nihilo vel ignoraverit, vel negaverit; ſed quòd quat. Phyſicus de re Phyſica ex phyſicis principiis diſputârit. Id quod confirmatur ex ipſo Ariſtotele. 1. Loquitur is de fieri corporum. Mobile enim eſt corpus. Corpora autem non aliter fieri, quàm generatione, docet *l.* 1. *Phyſ. t.* 65. ajens; *Omnia quæ naturâ conſtant, ex ſubjecto & forma fieri.* Sub hoc generali & communi effato Ariſtotelico licet ſubſumere; *Cælum eſt res naturâ conſtans;* Et concludere: *Er. Cœlum, quando factum eſt, ex ſubjecto & forma fuit factum.* Porrò: forma Cœli, utpote materialis, facta fuit dependenter à materia. Er. generatione factum eſt Cœlum, quamvis non naturali, ſed ſupernaturali. 2. Ariſtoteles ipſe *in d. l. 8. Phyſ. t. 1.* ad ſuam provocat Phyſicam, & Libb. ſuos Phyſicos allegat, ajens *t. 4.* ἀρξώμεθα δὲ πρῶτον ἐκ τῶν διωρισμένων ἡμῖν ἐν τοῖς Φυσικοῖς πρότερον; *ſicut à nobis in Phyſicis definitum fuit.* Loquitur igitur de τῷ *incipere eſſe phyſicè*, ſive de *Ortu Phyſico*, qui eſt cum motu phyſico.

§. 56.

§. 56. Nunc repetamus & perpendamus argumentum: quidquid incepit esse, id incepit per motum. Mobile (nempe Cœlum) incepit esse. Er. incepit esse per motum. Ubi Major propositio eâ quidem, quâ apparet facie, falsa est. Limitanda igitur, & determinanda h. m. quidquid incepit esse physicè, illud cœpit esse per motum Physicum. Mobile sive Cœlum incepit esse physicè. Er. &c. Jam resp. neg. Minorem; non enim naturali, sed supernaturali & divinâ generatione incepit esse Cœlum.

§. 57. Sed inquis: Incepit tamen mobile (Cœlum) per motum, quia cœpit per generationem. Generatio verò est motus quidam. Quamvis ergo non cœperit per motum physicum, cœpit tamen per hyperphysicum seu supernaturalem, id quod satis est. Verùm resp. I. Aristot. tamen motum Physicum intelligit, & talem, qualem *l. 3. Phys.* definivit. II. Motus Cœli manet motus primus, neq; habet se priorem illius generis & modi, in quo ille primitatem suam obtinet. Est verò & salutatur primus (1.) In genere motus localis, uti & Cœlum nō dicitur mobile in ordine ad motum generationis, sed ad motum localem. Quamvis igitur mobile factum sit per motum generationis, iste primitatem motus cœlestis non tollit. Imò motus sive latio Cœli supponit motum generationis, sicut moveri localiter supponit esse mobilis. Quod enim non est, id ne quidem moveri potest. Accepit verò mobile (Cœlum) esse per generationem. Igitur motus generationis est prior motu locali in Cœlo, tanquàm mobili. Imò hoc requirit Philosophus hoc ipso locô, nempe *d. l. 8. Phys. t. 4. non esse motum*, ajens, *nisi sit motivum & mobile, sicut non est combustio, nisi sit combustivum & combustibile.* Quia igitur motus supponit esse mobilis, ideò supponit productionem mobilis, quæ est generatio. (2.) Aristoteles motum Cœli salutat motum primum in genere & statu Naturæ,

ſive, quòd inter motûs naturales primus ſit. Motus verò ille, per quem factum Cœlum, non eſt motus naturalis, ſed ſupernaturalis. Generatio enim Cœli fuit ſupernaturalis, & peculiaris modi, quâ in eodem momentô & forma Cœli, & diſpoſitiones pro forma fuêre inductæ in materiam. De ſe verò motus primus naturalis, in quacunque etiam ſpecie ille ſit, admittit priorem ſupernaturalem; nec per hoc ille deſinit eſſe primus, nimirum, uti dictum jam, in genere naturæ, quippe in quo ſolùm primus dici gaudet. Et de tali motu Ariſtot. inpræſentiarum loquitur. Manet igitur motus Cœli motus primus intentione Ariſtotelicâ, quidquid ſit, quòd ipſum per motum (ſui generis & modi) cœpit.

§. 58. Denique, ut nervum objectionis incidamus, notandum, quia, juxta Philoſophum, *mobile* eſt duplex, vel *ut quo*, nempe materia; hujus enim eſt moveri, *l. 2. de ort. & int. c. 6. t. 53.* fundamentum eſt *in l. 2. Phyſ. t. 10.* vel *ut quod*, nempe ipſum corpus mobile, uti hîc eſt Cœlum; Vid. *Inſtit. Phyſ. lib. 1. ſect. 3. artic. 2* §. *106. pag. 225.* ideoque de productione mobilis dupliciter poſſumus loqui, vel, illud dupliciter accipere. 1. *De mobili ut quod*, ſive de Cœlo verum eſt, quòd per generationem, adeoque per motum (puta, ſui generis & modi) cœperit. Sui generis & modi, dico. Quô ipſo motui cœleſti ſua primitas non adimitur, nec ob generationem Cœli datur motus prior motu illo, ſive motu cœleſti, propriè & ſtrictè loquendo; 2. *de mobili verò ut quo*, ſive de materia, ſecundùm quod movetur Cœlum, (hæc enim ſola eſt principium paſſivum, forma verò eſt principium activum motus) dicendum eſt, etiam ſecundùm Ariſtotelem, ipſam ſine motu cœpiſſe, eſt enim ingenerabilis atque incorruptibilis, *l. 1. Phyſ. c. 9. t. 82.* Quia verò cœpit materia, etiam juxta Ariſtotelem, *qui in l. 12. Metaph. c. 7.* totam naturam à Deo dependere aſſerit, materiam, tanquàm baſin

& fun-

& fundamentum Naturæ, creatione cœpisse, etiam juxta Aristotelem, (quamvis illud nullibi verbis expresserit) consequitur, ceu *suprà Disp. 2.* pluribus ostensum fuit.

§. 59. Atque sic tandem constat, quæ sit summa responsionis, quâ nervus argumenti inciditur, nimirum, mobile (Cœlum) cœpit partim sine motu, puta, quà materiam, quæ minimè generata, sed creata fuit; partim cum motu, & per motum, (puta, sui generis & modi) quantum ad formam, quatenus scil. forma Cœli supernaturaliter è potentia materiæ (ex se inhabilis) fuit educta. Cœpit ergo esse Cœlum, sed non eô modô, quô Aristoteles in suo discursu intendit; intelligens generationem Physicam.

§. 60. Ex dictis constat jam de altera Dilemmatis parte, nimirum, utrumque Aristoteli largimur: *&* cœpit Cœlum; *&* semper fuit. Prius nobis dat *in l. 12. Metaph. c. 7. t. 38.* Cœlum dependet à Deo. Er. accepit esse à Deo. Ergo incepit esse. Deinde: semper fuit eâ, intellige, sempiternitate, quæ, vel qualis in Natura datur, h. e. quæ fuit, quàm diu Natura, & cum Natura ipse motus fuit. Talem enim, & non aliam, intellexit Aristoteles, ceu ex ipsius Philosophia est cernere, & suprà fuit expositum, & repetetur inferiùs.

§. 61. Deinde, alia asserti Aristotelici nobis suggeritur probatio *in d. l. 8. Phys. t. 10.* ubi tempus æternum asserit. Unde datur colligere: ergo etiam motus est æternus, quia tempus est mensura motus, aut saltem aliqua ejus passio, *l. 12. Metaph. c. 6. t. 29.* Antecedens probatur ex textu: Si enim tempus habet initium, priùs non fuit, posteriùs autem fuit, quando cœpit esse, eritque verum dicere, aliquando tempus non fuisse, & non esse temporis priùs fuisse, quàm esse temporis. Sed ratio prioris & posterioris non datur absque tempore, adeoque ubi prius & posterius, ibi tempus. Er. antequàm esset tempus, erat tempus.

§. 62. Resp. 1. de æternitate tùm motus, tùm temporis, quomodo utraq; intelligenda, antè dictum fuit. Persistit verò Arist. in rationibus Physicis pertexendis, suoque proposito accommodandis. Igitur 2. resp. ad antecedentis probationem, *τὸ prius* & *posterius*, item *τὸ aliquãdo* hîc (in hoc discursu) neutiquàm designare veras differentias temporis veri & realis, sed vel tempus imaginariũ, quod semper fuit, sicut & spatium imaginarium; vel tantùm significant, tempus nõ semper fuisse, non aliter, ac ista: *extra* & *supra* Cœlum nihil esse, (quô modô loquendi ipse Aristoteles utitur *in lib. de Cœl. t. 99.*) non significant differentias loci, cum *extra* & *supra* Cœlum non sit ullus locus, adeoque nec ulla vera veri loci differentia. Percipi prætereà id poterat ex ipsa probatione, ubi dictum, quòd *non esse temporis praecesserit*, sive *priùs fuerit*. Unde invertitur argumentum: si non esse temporis fuit priùs tempore, sequitur, non fuisse tempus ante tempus. Contradictoriè enim dissident, non fuisse tempus, &, fuisse tempus.

§. 63. Doctrinæ meliorisque intelligentiæ causâ, cùm Toleto *in Comm. sup. l. 8. Physic. q. 2. fol. 212. a.* distinctionem adhibemus, ajentes, *τὸ aliquando*, item, *τὸ prius & posterius* dupliciter accipi: 1. *negativè*, quomodo sempiternitati opponuntur, dicuntque negationem perpetuitatis, nimirum motus & temporis; 2. *positivè*, quomodo tempus exprimunt, temporisque partes sive differentiæ sunt. Quando proinde tempus priùs non fuisse, & posteriùs non fore dicitur, negativè hi termini accipiendi veniunt, nihilque aliud significatur, quàm tempus non semper fuisse, non semper fore. Porrò, si dicat quis: aliquando fuit hora matutina; sanè non dicitur, quòd in aliquo alio tempore illa hora fuerit, sed quòd non semper fuerit. Sic, quando ais, aliquando fuit, aliquando non erit tempus; significatur, quòd tempus non fuit, nec est semper, nec erit semper, sed cessabit, & initium habuit.

§. 64.

§. 64. Eôdem sanè modô, uti antè fuit indigitatum, quô se res habet cum aliis similibus, quando e. g. dicimus, *supra* & *extra* Mundum nihil esse. Hæ voces etiamsi aliàs locum significant, attamen quando inquis, *extra* aut *supra* Cœlum, *negativè* accipi debent, uti negant locum, cum extra & supra Cœlum non sit locus. Patet id insuper h.m. Non potes colligere: si extrà est; ergò locus ibi est. Non enim valet; id quod parili ratione dicendum ad rationem pro temporis æternitate allatam.

§. 65. Atque per hanc distinctionem & limitationem cadit ipsum discursus fundamentum: 1. *Ratio prioris & posterioris*, scilic. positivè & propriè accepti, *non datur sine tempore.* 2. *Ubi prius & posterius* positivè & propriè (proprietate physica) acceptum, *ibi est tempus.* Hæc quidem h. m. limitata & determinata vera sunt, & rectè se habent; sed nihil ad præsens faciunt, siquidem illud prius, de quo argumentum sive collectio, non est priùs positivè & propriè acceptum, quod ad tempus spectet; sed impropriè & latiori acceptum modô, prout etiam ibi adhibetur, ubi nihil positivi & realis subest.

§. 66. Sequitur alia in Aristot. probatio. Tempus esse æternum, probat Philosophus, quia non datur primum *nunc*, *ante* quod non fuerit tempus. Implicatur enim contradictio. Nam illud *ante* significat & arguit tempus. Vel, latiùs quodammodò argumentum deducitur. Absque *nunc*, (h. e. absque momento) non datur tempus. Omne enim *nunc* est finis præteriti, & initium futuri. Nullum ergo tempus esse aut cogitari potest, ante quod aliud tempus futurum non sit. Tempus igitur sempiternum est. Si tempus, ergo & motus, sine quo tempus esse nequit, utpote quod est passio aliqua ejus.

§. 67. Resp. Aristoteles loquitur de statu Naturæ, sive, quomodo rem in Natura se habere comperimur. Physicè

ſicè enim, & ſi ordinarium Naturæ curſum intucaris, verum eſt, absque *nunc* nullum eſſe tempus, & omne *nunc* eſſe finem præteriti, initiumque futuri; abſolutè verò acceptum utrumque, falſum eſt. Etenim, abſolutè loquendo, non omne *nunc* eſt finis præteriti, ſed tum, ſi datur præteritum, cum quo *nunc* connecti poſſit.

§. 68. Deinde, accerſenda antè data reſponſio. Si modô noſtrô concipiendi loquamur, concedendum eſt, dari primum *nunc* & punctum temporis, *ante* quod non fuerit tempus, ita, ut illud *ante* non ſignificet tempus prius reale, ſed tantùm imaginarium, non aliter, ac quando Ariſtot. *l. 1. de Cœl.* ait, *extra Cœlum nihil eſſe.* Ubi ſanè τὸ *extra* Ariſtoteli non ſignificat locum. Quemadmodum igitur non licet argumentari: extra denotat locum; Er. extra Cœlum eſt locus, & per conſequens aliquid; (Contradictio enim latet: extra Cœlum eſſe aliquid, & extra Cœlum eſſe nihil. Si igitur extra Cœlum nihil eſt; aliquid, adeoque locus ibi eſſe non poteſt) ita etiam abſurdè infertur: *ante* ſignificat tempus; Er. *ante* primum nunc fuit tempus, Uti igitur per illud *extra* intelligitur locus imaginarius; ita per hoc *ante* ſignificatur tempus imaginarium, & minimè reale.

§. 69. Quantum ad rem ipſam verò, datur omninò *nunc* ſive momentum initiale, ſine anteceſſione momenti prioris, ut quando Scriptura S. dicit: in principio creavit Deus Cœlum & terram. Cum quo principio omninò conjunctum erat aliquod νῦν, ſive aliquod momentum, quo Deus creationem Mundi auſpicabatur, ſine præceſſione alicujus prioris momenti. Neque de ſe abſurdum eſt, tempus, quod cœpit cum primo mobili, incepiſſe in aliquo *nunc*, inchoante videlicèt illam durationem. Uti enim in linea eſt punctum inchoans, continuans & terminans, ita & in tempore,

quod

quod est mensura motus, talia dari instantia, illud integrantia, cogitandum est.

§. 70. Relinquitur igitur, Aristotelem istâ suâ hypothesi Scripturæ S. non esse contrarium; ille enim, uti dictum, loquitur de modô Naturæ usitato; Moses verò loquitur de extraordinario & supernaturali prinpicio. Nam tùm, *quia* Sol nondum erat, non potuit fieri mensura & dimensio dierum & horarum: *quia* lux ordinaria Solis noctes & dies, atque ita tempus præteritum à præsenti non distingvebat, non potuit illud principium, quô Mundus cœpit, esse naturale aut ordinarium.

§. 71. Porrò ex *t.12. d. lib. 8. Phys.* hoc depromitur argumentum. Si motus habiturus est finem, dabitur aliquis motus posterior motu ultimô, quod repugnantiam involvit; Er. motus non solùm retrò, verùm quoque antè infinitus est. Subsumtum probatur, quia adhuc pòst quemlibet motum manebit aliquod mobile & movens, à quo movetur, adeoque illum motum, qui ultimus dicebatur, alius subsequetur motus. Respondet hoc argumentum illi, quod ex t. 4. hujus libri antè fuit formatum de ortu mobilis, in præcedente §. 51.

§. 72. Resp. 1. Si motus est habiturus finem, naturaliter, puta, dabitur motus ultimô motu posterior. Semper enim Philosophus intendit de motu juxta conditionem Naturæ, & prout ortus & interitus in Natura se habent. Jam verò negatur subsumtum; motus siquidem, uti & Mundus, non est habiturus finem naturaliter, (sicuti nec cœpit naturaliter) sed supernaturaliter destruetur. 2. Imò posset esse futurus motus ultimus corporum, puta, elementorum & corporum cœlestium, quæ post diem ultimum quiete perpetuâ fruerentur, inhibitô videlicèt eô, qui nunc est, Naturæ cursu, & sublunari naturâ ab interitu inposterum, Dei beneficiô, vindi-

catâ, qui uti initiô temporis novum Mundum condidit, ita in fine temporis nova facere poteſt omnia.

§. 73. Quantum verò ad probationem: quia poſt ultimum motum manebunt mobilia & moventia, adeoq; motus: reſp. negando ultimam conſequentiam; ſiquidem à permanentia moventis & mobilis ad permanentiam motus nō datur ducere argumentum. Poſſunt omninò manere mobilia &, quæ movere ipſa poſſent, ut tamen non detur aut ſeſequatur motus, ita Univerſitatis Autore diſponente. Qua in re juvat ſeq. uti diſtinctione. *Mobile* & *movens* dupliciter poſſunt conſiderari: 1. *materialiter & abſolutè quà entitatem ſuam*, pro re ſive corpore, quod vel motui ſubjectum eſt, vel movet; 2. *formaliter & reſpectivè*, adeoque ſub reduplicatione, pro mobili in quantum mobile eſt, & pro movente, in quantum movens eſt. Maneant mobilia & moventia materialiter & ſecundùm rem; quid hoc ad motum? Sufficit, ſi mobile deſinat eſſe mobile, & movens deſinat eſſe movens, quamvis non deſinant eſſe ſecundùm ſe, ſive quatenus entia ſeu corpore naturalia ſunt.

§. 74. Aliud ex *t. 15.* prodit argumentum, hoc modô: Deus & Natura in omnibns rebus ordinem amant. At verò infinitô quaſi tempore non fuiſſe motum, & pòſt cœpiſſe eſſe, eſt præter ordinem, ſiquidem ordo conſiſtit in proportione. Infiniti verò ad finitum nulla proportio. Unde relinquitur, motum nunquàm cœpiſſe, ſed ſemper fuiſſe.

§. 75. Reſponſionis idem fundamentum. (1.) In illatione ſemper annectendum: *ſemper fuiſſe, quo quidem modô ſemper eſſe potuit*, nempe in Natura, ſive, quàm diu Natura fuit. (2.) Argumentum ſumitur ab ordine naturæ à Deo inſtituto, ut illud prorſus alienum ſit à præſente negotio, ubi de ortu Mundi eſt ſermo. Sanè ordo Naturæ ortum Mundi ſupponit. (3.) Sed eſto; admittamus Majorem propoſitionem; negan-

neganda tamen venit subsumtio. Ad ejus confirmationem dicimus, esto, ordinem rerum naturalium in proportione consistere; quid verò hoc 1. ad primam Mundi constitutionem? quid 2. ad actiones Dei? Neque enim Naturæ legibus adstrictus est Deus. Quid si enim noluit motum esse ab æterno, aliam spectans ordinis rationem, quam ipse sciebat, & ob quam Mundum potiùs in aliquo temporis principio, quàm ex æternitate procreari conveniebat. Non igitur fuit præter Divinum ordinem, post infinitum tempus imaginarium cœpisse motum, quamvis sit contra naturæ ordinem, à Deo posteà institutum. Sed hoc nihil ad Aristotelem.

§. 76. Imò quei Deus in productione Mundi respexisset ad ordinem Mundi, maximè adhuc à se instituendum, cum, ipso Aristotele concedente, Deus sit agens liberum, & neutiquam ex necessitate agat? Cum igitur Deus, etiam juxta Aristotelem, nullâ necessitate adactus, sed liberè, quæ extra ipsum sunt, efficiat, non eadem ratio in istis quærenda est, atque in hisce naturalibus; vel, in Dei operibus non est idem requirendum, quod in aliis rebus in Natura, nec ea sunt exigenda ad normam agentium naturalium, nec ad leges Naturæ adstringenda. Neque, si voluntatis Divinæ nulla certa & manifesta ratio assignari à nobis potest, cur tunc, & non priùs fecerit, nec, inquam, ideò id, quod dicimus, negandum est. Quàm enim multa sunt, quæ propterea non negamus, quòd eorum causas reddere nequimus.

§. 77. Afferunt quoque ex *l. 8. Phys. t. 76.* hoc, quòd in conversione (ἐν περιφερείᾳ) nec principium, neq; finis esse dicitur. Inde inferunt: Cujus nullum principium, nullusque finis est, illud æternum est. Atqui motus circularis Cœli (de hoc enim loquitur) nullum principium, nullusque finis est. Ergo motus circularis Cœli est æternus. Majorem propositionem pro principio habent; Minor verò est Aristotelis *d.l.*

Hh 2 §.78.

§. 78. Verùm resp. 1. Contra intentionem Arist. hoc affertur. Neque enim de æternitate motus quidquam vel dicit, vel intendit h. l. Philosophus, sed de conditione motus circularis loquitur, quod etiam facit *l. 12. Metaph. ca. 6. t. 29.* qui locus omninò hîc conferendus. 2. Major simpliciter & illimitatè accepta, falsa est. In quavis enim sphæra ita res habet, quòd nullum ejus initium, nullum finem invenire potes. Igitur quævis sphæra erit æterna? absurdè! 3. Dinstingv. inter *principium essendi*, & *principium quodcunq;*, e. g. magnitudinis, figuræ &c. De illo verum est; Cujus rei sive entis planè nullũ principium essendi, nullusq; finis sive exitus est, illa res, sive illud ens est æternum. Sed quid hoc ad motum circularem, in quantum quidẽ talis motus est? De principio verò quomodocunque accepto Major non procedit. 4. Imò non tàm æternitas, quàm infinitas motus deducitur ex isto principio. Id quod patet sic: quicunque motus neque principium habet, neq; finem, illum infinitum esse oportet. Sed motus Cœli, utpote circularis, neque principium habet, neque finem. Er. motum Cœli, utpote circularem, infinitum esse oportet.

§. 79. Aliàs principium motus circularis non tantùm penes mobile attendi debet, alioquin nullius corporis rotundi aut initium, aut finem habere posses; sed penes movens, ut hîc penes Motorem primum, qui ab æterno decreverat, ut aliquando motus Cœli inciperet. Cœpit autẽ motus circularis cum ipsis corporibus cœlestibus, tanquàm cum mobilibus. Imò licèt motus cœli circularis quatenus talis, sive ex parte circuli, non habeat certum initium aliquod, unde inceperit, habet tamen ex parte Motoris, (ex hoc enim pendet duratio motus) qui non semper movit, siquidem ne quidem semper mobile extitit; sed ab aliquo principio incœpit movere. Et quia Motor ab aliquo tempo-

ris

ris principio cœpit movere, cœpit quoq; mobile (ut Cœlum, vel cœlestia corpora) in aliquo temporis principio moveri.

§. 80. Afferunt porrò ex *l. 8. Phys. t. 53.* ubi sic Philosophus: *at verò si quidpiam semper tale, movens quidem aliquid, immobile autem semper manens, atq; perpetuum; & id sanè, quod ab ipso primùm movetur, perpetuum esse necesse est.* Cõjungunt alii *lib. 2. de or. int. t. 56.* & *l. 6. Metaph. t. 30. idem eodem modô se habens semper facit idem*; & inde ratiocinantur: Deus, quia semper idem est, & eodem modô permanens, immutabilis existit, vel semper mundum fecit, & ab omni æternitate Mundum condere incepit, vel nunquam fecit, nec unquam efficiet. Nam aliquando non facere, & aliquando facere, arguit, in opifice quandam mutabilitatem inesse.

§. 81. Resp. 1. ad primum locum Aristotelis, concedendo, id quod primùm movetur, esse perpetuum, hoc scilic. modô, qui hactenus ex ipso fuit expositus. 2. Quantum verò ad alterum locum ex *l. 2. de ort. & int.* allatum, ille non est ejusd. monetæ cum illo priore; prior enim de *motu* agit, posterior de *actione* sive operatione, quæ multùm sunt diversa. 3. Nec iste discursus est Aristotelis, sed aliorum, ita sub propositione ista subsumentium. 4. Distingvendum igitur inter *propositionem* Aristotelis, ejusdemq; *intentionem*. Propositio quidem est Aristotelis; non autẽ fuit ejus intentio, eam adhibere ad probandam Mundi æternitatem; sed detorquetur ab aliis propositio ad hoc negotium, citra intentionem Philosophi. 5. Illa propositio Aristot. non est extra limites Physicos extendenda. De *agente Physico* loquitur; de hoc igitur accipienda ea, nec ultrà aut extrà trahenda, vel detorquenda. 6. Ex superabundante tamen limitamus propositionem: *idem scil. agens naturale, eôdem modô se habens, semper agit idem*, quia nimirum operatur ex necessitate naturæ. Vel: *idem magens idem, eôdemq; modô se habens, semper agit idem*, si opere-

tur ex necessitate naturæ. Jam verò Deus non operatur ex necessitate naturæ, sed omninò liberè, ipso etiam Aristot. concedente, ceu in anteced. fuit ostensum.

§. 82. Deniq; offert se hæc objectio: Motor est æternus; Er. quoq; motus est æternus. Resp. in antecedente tàm subjectum, quàm prædicatum venit distingvendum. Subjectum sic: *Motor* dicitur dupliciter: *vel* materialiter, & in sensu diviso, pro eo, qui est motor sive principium motus; *vel* formaliter, & in sensu composito, pro motore in quantum motor est, h. e. sub ratione moventis, sive principii motionis effectivi. Prædicatum verò h. m. vox *æterni* sumitur dupliciter, etiam apud Aristot. *vel* strictè & in rigore Metaphysico; *vel* latè & accommodatè, pro conditione materiæ substratæ, quæ diuturnâ gaudet duratione, &c.

§. 83. Ex geminâ hac distinctione distinctè jam respondetur. 1. Motor, materialiter acceptâ voce, h. e. ille, qui movet, est æternus, juxta strictam & propriam vocis acceptionem; Er. quoque motus est æternus juxta strictam & propriam vocis acceptionem. Consequentia non procedit, siquid. duratio Motoris secundùm esse suum absolutum h. e. juxta entitatem suam non ponit motum aut motus durationem, potest siquidem illa substantia, quæ movet, & inde Movens sive Motor salutatur, existere multis imò infinitis retrò seculis, adeoque ab omni æternitate, etiamsi non moveat. 2. Motor formaliter sic dictus, & in quantum talis est æternus, strictè & propriè acceptâ voce; falsum est antecedens; est æternus juxta latiorem vocis acceptionem; admissô sic antecedente, admittitur quoque consequens sive conclusio, in illo, puta, sensu; Er. motus est æternus juxta latiorem vocis *æterni* acceptionem.

§. 84. In motu verò non tantùm ad movens, verùm quoque ad mobile est respiciendum, maximè, quòd relata sunt;

sunt; est enim movens mobilis, & hoc illius respectu, unde, ut talia, simul sunt, & se mutuò ponunt atque tollunt. Imò si dicendum, quod res est, tàm *motor*, quàm *mobile* à *motu*, tanquàm à forma, appellationem habent, *ille* quidem, quòd ab eo, *hoc* verò, quòd in eo sit motus. Hinc videmus, Aristo- telem à motu ad movens sive ad Motorem argumentari, *d. l. 8. Phys. c. 6. t. 48.* h. m. his ipsis verbis: εἴπερ οὖν ἀΐδιος ἡ κίνησις, ἀΐ- διον καὶ τὸ κινοῦν ἔσαι πρῶτον, h. e. *si igitur motus æternus est, ater- num quoq; erit movens primum.* Tàm Motor igitur, quàm mo- bile, in quantum quidem talia, æternitatis nomen sibi ven- dicabunt, quantum motus conditio permiserit. Sicut enim denominatio, ita & denominationis fundamnntum est à forma. Motus autem conditio, juxta Aristot. est, quòd nul- lum initium nullumque finem physicum habet, & propter- eà æternus est physicè. (Loquitur autem de motu primo, sive cœlesti, qui & causa est, & mensura aliorum motuum hujus inferioris Mundi.) Taliter er. & Motor & mobile, in quantū quidem talia, sibi æternitatem, quantum ad hoc, adscribunt, nimirum physicè, sive, prout Naturæ consentaneum est.

§. 85. Nimirum ita res habet. In *l. 12. Metaph. c. 6. t. 29.* hoc habet: *impossibile est generari aut corrumpi motum*, (sicut & tempus) *nam semper erat;* ἀεὶ γὰρ ἦν. Hoc ait: illud in Na- tura & à Natura nō habet ortum, aut interitum, quod in Na- tura semper fuit, semper est, eritque. *Et motus sanè ita conti- nuus est*, statim sequitur, *sicut & tempus*, &c. Id quod ad mo- tum circularem restringit. Sicuti igitur de Physica conti- nuitate, ita & de Physica perpetuitate motus circularis lo- quitur Philosophꝰ. Accedit *l. 2. de Cæl. c. 3. t. 21.* ubi docet, *ali- quid in medio consistere & manere semper* (NB. *semper*) *oportere,* (terram intelligit) *cum cœleste corpus semper* (NB. *semper*) *circa terram convertatur.* Ταύτην (γῆν) δ᾽ ὅτι ἀνάγκη μένειν τι ἀεὶ, εἴπερ κινεῖσθαί τι αἰεὶ δεῖ. Et hæc est illa sempiternitas (τὸ αἰώνιον)

Physi-

Physica. Atquè talem, & non aliam æternitatem significat in *l. de Mun. cap. 5.* ἡλίου τε καὶ σελήνης κινουμένων ἀκριβεστάτοις μέτροις ἐξ αἰῶνος εἰς ἕτερον αἰῶνα, h. e. *Sole & Lunâ exactissimè motis ex seculo in seculum alterum.* Et hic est motus æternus Cœli; hæc Mundi æternitas, ab Aristotele intenta & asserta.

§. 86. Nec, si alia Aristotelis loca inspicias, ejusque doctrinam intimiùs perspicias, aliter se res habere potest. De mobili (de Cœlo, imô toto Universo) tradit, quôd illud in suo esse sit constitutum à Deo, ita quidem, ut illud exornaverit & optimè disposuerit, (διεκόσμησε) *lib. de Mun. c. 5.* ubi alia talia reperiuntur, quæ non nisi successionem initiumque operis monstrant, & tamen ibidem statim ait, quòd ista *à seculo* ita constituta; & *in seculum* duratura sint. Gaudet ergo mobile eâ æternitate, quæ tali operi, quod Aristot. d. l. describit, convenit. Taliter ergo Motor ut Motor æternus est, qualiter mobile est æternum, & vicissim, qualiter motus, à quo & ille, & hoc denominationem accepit, permittit. Quæ verò sit conditio motus, ex libb. Physicis, juxta allegationem Aristot. habendum est.

§. 87. Atque sic consideravimus argumenta Aristotelis, quæ æternitatem Mundi svadere videbantur, & quis scopus fuerit Philosophi nostri, indicavimus. Colophonis locô adponimus judicium Toleti, optimi Interpretis, *Com. in l. 8. Physic. q. 2. in fin. Dicimus,* inquientis, *si subtiliùs consideremus, omnes rationes Aristotelis non pugnare cum fide, sed rectè concludere, scilicet per motum non fuisse productum Mundum ex aliquo subjecto, quod sanè Philosophus intendebat cõtra Philosophos alios. Et hoc manifestò patet, quia semper in eis ex motu procedit.* Et concludit: *impiè argunt, qui talibus rationibus contra fidem & veritatem creationis abutuntur, quod sanè non fecit Aristoteles.*

§. 88. Afferri quoq; alia solent ex Aristot. pro æternitate Mundi argumenta, sed ab ipso non intenta, aut ad eam probandam adhibita, quidquid sit, quòd propositiones, ex quib9 argumenta deducuntur, sint Aristotelicæ, & ab ipso, sed aliâ intentione, prolatæ, utpote ex *l. 12. Metaph. t. 30.* & *l. 8. Phys. t. 48. & 56. &c.* quæ cum non adeò ad rhombum sint, nec efficacia argumenta suppeditent, suo loco relinquuntur. Et sic pausam facimus.

FINIS.

DISPUTATIO IIX.

Exhibens Supplementum antecedentis Disputationis.

Prima Supplementi pars,

De Corporibus simplicibus.

Articulus I.

De productione rerum in Natura.

§. 1.

SCriptura S. docet I. Cœlum in principio à Deo fuisse productum, nunc *creationis*, ut *Genes. c. 1. v. 1.* nunc *generationis* voce utens, *seq. c. 3. v. 4.* Aristot. verò contrà vult, Cœlum non esse factum, unde illud ἀγένητον vocat, h. e. ingenitum, *lib. 1. de Cœl. c. 3.* & id probat tùm ibid. tùm *seq. cap. 10. & 12.* Verùm resp. Aristot. neutiquàm negat productionem Cœli, sed negat naturalem productionis modum; Vel: naturalem Cœli ortum negat, non verò negat ortum omnem. Id quod ex d. capitis tertii contextu videre est, ubi rationem sui asserti affert, nimirum, quia Natura Cœlum exemit à contrariis. Unde hic συλλογίζων λόγος: quodcunque corpus Natura exemit à contrariis, illud non substat naturali generationi, vel illud naturali generatione oriri nequit. Sed Cœlum Natura exemit à contrariis. Er. ipsum naturali generatione oriri nequit. Major est *in lib. 1. de or. int. c. 1. tot.* Nihil igitur Aristot. cô ipso contra Scripturam S. aut fidem nostram.

§. 2. Scriptura S. docet II. Deum condidisse Cœlum & terram, & posteà facit mentionem aquarum, quibus Spiritus Dei incubâsse scribitur, *d. cap. vers. 2* Quo ipso in loco tria nominantur corpora prima, *Cœlum, terra, & aqua;* Aristot. verò, his non contentus, duo adjicit, & quinque corpo-

ra prima ſtatuit, hoc ordine, *Cœlum, ignem, aërem, aquam & terram, in lib. de Mund. ca. 3. & 4.* At contrà; in Scriptura S. æquè quinque prima corpora continentur, ac in Ariſtotele. Quod ut reddamus manifeſtum, ad ſequentia attendendum eſt. Primò: hiſtoria creationis inſpicienda, ubi multifariam reſponderi poteſt; *aliter* quidem in ſententia ſtatuente, *Cœlum* & *Terram* propriè dici, ſive propriè iſta vocabula accipi, pro ipſa ſubſtantia Cœli & terræ; *aliter* in ſententia ſtatuente, vocabulis *Cœli* & *Terra* denotari totum Mundum, h. e. corpora cœleſtia & terreſtria. (*Per Cœlũ intelliguntur omnia corpora cœleſtia*, inquit Vatablus in *Annotat. ad verſ. 1. Geneſ. per Terram terreſtria; proponit initiò rem totam, ut ejus Autor cognoſcatur.*) *aliter* denique in ſententia ſtatuente, per *Cœlum* & *Terram* h. l. intelligi materiam rudem, ex qua Cœlum & Terra, & reliquæ creaturæ factæ ſint.

§. 3. Ut ut autem iſta ſeſe habeant, reſpondemus 1. In talibus à Scriptura S. negativè argumentari non licet. Non enim procedit: Scriptura S. nihil habet de creatione ignis, intellige, qui ſit elementũ Mundi; Er. ignis non fuit primùm cum aliis corporibus primis creatus. Non, inquam, valet. Parili enim ratione de aliis potes colligere. Imò ne aquæ quidem creatio in Sacra proponitur Hiſtoria, ſed, ejus creatione ſuppoſitâ, (quæ omninò ſub creatione terræ comprehenditur) dicitur, quòd Spiritus Domini incubârit aquis. Mirum igitur non eſt, quòd & aliorum corporum primorum in S. Geneſi non ſtatim expreſſa ſit mentiò. Valeat hîc illud: *Tacente de rebus naturalibus Scripturâ, neutiquam taceat Phyſicus.* Hic, quô pactô, inquit, potuiſſet hic Mundus conſtare, præſtantiſſimô & efficaciſſimô carens elementô? Videns prætereà ignem vel diaconicum, vel ſubterraneum, tanquàm corpora concreta, colligit inde, dari ignem priorem,

vel,

vel, qui sit primum & simplex corpus, sicut, qui videt argillam, aut margam, colligit inde, dari aliquod prius & simplicius corpus, terram, puta, elementarem, sive, quæ elementum sit, ex quo ista corpora, adscitis certis dispositionibus & qualitatibus, concreta sint & constent.

§. 4. Resp. 2. Nota est distinctio, quâ dicitur, *aliquid in Scripturis haberi dupliciter*: vel *explicitè* & *κατὰ ῥητὸν*, vel *implicitè* & *κατὰ διάνοιαν*, h. e. ita, ut quamvis expressâ non contineatur vel exhibeatur literâ, tamen inde erui & evinci possit. Cui accedit 3. quòd, si quid in uno non habetur locô, sufficit, & perinde est, quantum ad rem, si proponatur in alio. Sic, quamvis ignis non fiat mentio in *1. cap. Genes.* fit tamen illius mentio alibi, ut in *Lib. Sapient. c. 19. v. 17. & 19.* & *in Psal. 148, v. 8.* & alibi. Inde rectè argumentaris: Datur ignis elementum in Natura; Er ignis elementum à Deo fuit creatum, & ex consequente pertinet ad opera creationis in S. Genesi descripta. Potes etiam discurrere h. m. Scriptura S. sæpissimè meminit ignis. Ille ignis aut est corpus simplex, aut corpus mistum, sive: aut est elementum, aut elementatum. Si corpus simplex, pertinet ad prima corpora primitiùs à Deo creata, quæ sunt partes integrantes Mundi, ordine concinnô positæ. Si elementatum, supponit elementum, tanquàm corpus prius, ex quo ortum habeat. Atq; sic habitô elementô ignis, ut primô corpore, hujus productio ad hexaëmeron revocanda erit, quidquid sit, quòd de ea nihil expressè meminit creationis historia.

§. 5. Imò ne quidem aëris creatio satis clarè proponitur, neque illius expressa in Historia Creationis fit mentio; verùm is 1. periphrasticè describitur, & dicitur ille *locus*, *qui est sub firmamento Cœli*, vel inter Cœlum & terram atque undas; 2. vocatur *expansum*, *quod factum est in medio aquarum*, & à superficie terræ versùs Cœlum (specialiter dictum) pro-

tenditur. Nimirum Scriptura S. suâ phrasi utitur loquiturque, id quod hîc *expansum*, alibi *aërem* vocans. Ut proinde duo hujus elementi in Scripturis extent nomina; *expansum* & *aër*; *expansum* à figura externa, quòd à superficie terræ usque ad regionem æthercam extensum est; *aër* ab usu, ab ἄω vel ἄημι, i.e. *spiro*. Quò Cicero alludit *l. 3. de Nat. Deor. proinde terra sita in media parte Mundi, circumfusa est undiq; hac animabili spirabiliq; naturâ, cui nomen est Aër.* Vid. Becman. *Orig. Lat. Ling. in voce Aër. p. 159.* It. Martinii *Lexic. in voc. Aër.*

Articulus II.

De Unitate Cœli & Terræ.

§. 6. Quamvis Scriptura Sacra, in hoc Aristoteli consentiens, unum Cœlum creatum fuisse tradat, & insuper unitatem Cœli plurimis in locis asserat, obstare tamen videtur, quòd Scriptura S. sæpiùs facit mentionem *cælorum*, imò *cælos cælorum* non semel vocat. Verùm ista unitati Cœli non obstant. Et cum duo modi loquendi, quantum ad hoc, in Scripturis occurrant; 1. quando dicuntur *Cæli*, ut *Deuter. 32. vers. 1.* & *Esa. 1. v. 1. audite Cæli, &c. Job. 8. v. 8.* & *Esa. 40. v. 25. extendit Cælos solus. Psal. 32. v. 1. Verbô Domini Cæli firmati sunt*, &c. Dicuntur 2. *Cæli Cælorum, 2. Paral. 2. v. 5.* & *1. Reg. 8. vers. 27. Cæli Cælorum ipsum non possunt capere.* Et *Ps. 140. v. 4. laudate eum Cæli cælorum*; ideò (cum ista distinctè in Scripturis occurrant) distinctè respondendum est.

§. 7. Resp. ad primum: vox *Cæli* in Scripturis SS. non tantùm Cœlum sidereum, quod quidem propriissimè Cœlum est & dicitur, verùm quoque aërem significat. Sciendum igitur, vocem *Cæli*, & Hebraicum שמים in Scripturis usurpari dupliciter; 1. *in significatu generali*, quô non tantùm Cœlo æthereô, verùm quoque aëri competit; sic dicuntur volucres Cœli, *Job. 33. v. 11. Matth. 8. v. 20. Psal. 104. v. 12.* sic *Deuter. c. 4. v. 18.* dicuntur *aves volare in cælis*, (בשמים) ubi

nihil aliud, quàm aër intelligitur; in aëre enim degunt volitantque aves, minimè in æthere. 2. *in significatu speciali*, pro corpore æthereo sive Cœlo, astrorum domicilio, quæ quidem propriissima est vocis significatio.

§. 8. Deinde, in Cœlo tàm æthereo, quàm aëreo dantur distinctiones, interstitia & partes, ut dicamus aëris æquè ac ætheris partem supremam, mediam & infimam. Imò tàm hoc, quàm illud suos habet orbes; hoc quidem, juxta Aristotelem & vetustissimos Philosophos, reales, ubi supremo orbi plurimæ stellæ, eæque minores, aliàs fixæ dictæ, inferioribus verò orbibus septem, singulis singulæ, attribuuntur, qui *orbes planetarum* appellari solent. Et cui ignota est distinctio inter *primum mobile*, quod vocari consvevit supremum Cœlum, & *mobilia secunda*, per quæ intelliguntur orbes Planetarum? Et quis dubitet, Scripturam S. quando ait: *laudent eum Sol & Luna, Psal. 148. v. 4.* istos orbes (sive reales, sive imaginarios) indigitare, ut nimirum Sol in suo κύκλῳ, Luna in suo κύκλῳ, laudent Deum.

§. 9. Similiter est cum aëre, cujus tres regiones Natura monstrat, mediam meteororum aqueorum receptaculum constituens. Ut propterea in aëre quoque distincti κύκλοι appareant, infimus, medius & supremus, qui minimè confundi debent, cum unicuique à Naturæ Autore sua munia, suæque leges sint præscriptæ. Quo in negotio Scripturæ Liber Libro Naturæ amicabiliter consentit.

§. 10. Quis jam non intelligit, quâ ratione Scriptura dicat, dictosque velit *Cœlos?* Sunt enim reverà multi Cœli, tùm juxta aliam & aliam vocis acceptionem, tùm juxta aliam & aliam rei ipsius considerationem. Habes enim (1.) Cœlum æthereum, habes Cœlum aëreum; habes (2.) Cœlos sive orbes planetarum, habes Cœlum, quod continet stellarum fixarum exercitum, &c. Laudet igitur Deum Cœlum

lum (vel Cœli) in quo astra; laudet eum Cœlum, in quo volucres degunt & volitant: laudent eum omnes aquæ, tùm illæ, quæ infra Cœlum (h. e. aërem) sunt, quàm illæ, quæ de super. Atque in hoc videre contingit elegantissimam Scripturæ & Naturæ, doctissimique ejus Interpretis, Aristotelis consensum.

§. 11. His ita consideratis, facilè respondetur ad alterum, quâ nimirum ratione dicatur *Cœlum cœlorum*. Fit hoc indole & usu Lingvæ Sanctæ. Nimirum quia hæc Lingva non habet superlativum, (de quo vid. *Glass. l. 3. Philol. Sacr. Can. 16. pag. 56. edit. ult. p. 416.*) phrasi illâ notatur supremum & altissimum Cœlum, & vel firmamentum siderum, respectu expansi aëri, vel in firmamento sidereo supremus κύκλος respectu inferiorum, vel respectu omnium utriusque expansi partium, à primo & supremo orbe, usque ad infimum, superficiem terræ attingentem. Atque his talibus inculcatur insignis tantor. opificiorum excellentia & eminentia. Quippe quia hæc duo Expansa, æthereum & elementare, eorumq; interstinctiones, & tùm corpora eò destinata, h. e. totus stellarum (firmamenti) & avium (in aëre) exercitus, tùm munia illis demandata, singulare & præcipuum Divinæ Majestatis sunt argumentum, singulari & emphaticâ phrasi describi illa conveniebat.

§. 12. Nec hoc pactô multiplicantur entia. Eadem & tot manent corpora, (manent duo Expansa) quæ rerum Conditor in suprema Mundi parte constituit, id quod aliæ res in Naturâ te docere possunt. Vel solùm herbarum & arborum folia aspice. Quodlibet folium unum est, & tamen variis interstinctum costis, in quibus non nulla laudis & gloriæ Divinæ pars reposita est, ut omninò dicere, possis: laudent Deum folia arborum, omnesque eorum costæ; quæ quadantenus orbibus Cœli respondent. Respondent & co-

stæ corporis atque ventris humani, qui & ipse, ob cavitatem suam, Cœlo, quòd aërem & æthera complectitur, vel hoc illi assimilari potest. Cœlum enim nobis cavum apparet, tanquàm venter, vel fornix, unde etiam appellationem (Cœlum ἀπὸ κοῖλον) fuit adeptum. Vid. Martin. & Becman. ll. dd.

§. 13. Deinde, quantum ad Terram, tàm Scriptura, quàm Aristot. non nisi unam Terram, quæ ad Mundi constitutionem & integritatem pertineat, novit. Nec obstat, quòd *orbis terrarum* in Scripturis dicitur. Vox enim *Terræ*, juxta R. Kimchi *(in libro radicum) est nomen, quod vel totum Orbem, vel partem ejus significat, estq́; generalius, quàm* אבל, *quippe quod saltim orbem habitabilem. Terra verò cultam pariter & incultam significat.* Complectitur igitur Scriptura utramq́; singulari numerô ארץ, uti vel ex historia Mosaica patet. Ubi verò pluralis adhibetur, qui maximè etiam usitatus est, ferè regiones & certi tractus intelliguntur, qui partes Terræ, prout nunc Cœlo, nunc Mari contradistinguitur, illius, puta, quæ in principio à Deo creata dicitur, *Genes. 1, v. 1.* A quo nec doctrina Aristot. est aliena, qui dum multas insulas recenset *l. de Mun. c. 3.* multas terras, vel multas unius terræ partes distinctim positas, distinctim commemorat.

Articulus III.

De ordine primorum corporum.

§. 14. Hîc videtur dissentire à Scriptura S. Aristoteles. Illa siquidem docet, supra Cœlum aliud corpus esse collocatum, nimirum aquas, in *Genes. c. 1. v. 6. & 7.* ubi *(1.)* dicitur expansum factum in medio aquarum, & aquas superiores ab inferioribus fuisse distinctas; *(2.)* dicitur, Deum expansum vocâsse (שמים) Cœlos; *(3.)* luminaria dicuntur constituta in expanso Cœlorum. Et quia expansum dicitur esse in medio aquarum, sequitur, non solùm infra, verùm quoque supra expansum aquas à Deo fuisse repositas. Accedit *Psal. 148.*

v. 4.

v. 4. ubi dicitur: *laudent Deum aquæ, quæ supra Cælos sunt.* Aristoteles contrà statuit, *nullum corpus esse extra & supra Cælum, nullum item tempus, nullumq́ locum;* verbô planè nihil, in *l. 1. de Cæl. c. 9. t. 99.*

§. 15. Verùm nullus hîc dissensus, nulla pugna, si Scriptura rectè intellecta fuerit. Neutiquam verò ea, quæ apparet, Scripturæ est sententia. *(1.)* Repetenda antè proposita distinctio, & dicendum, quamvis Deus expansum illud vocaverit Cœlos, non tamen appellavit in speciali acceptione vocis, sed in generali. Et hoc pactô patet responsio ad secundum. Vid. *præced.* §. 7.

§.16. Sciendum (2.) quid per *aquas superiores* & *inferiores* sit intelligendum. Per *illas* intelliguntur partes aquæ crassiores & graviores, quæ inferiùs substiterunt, terramque partim permeârunt, partim ambierunt; per *has* verò intelliguntur partes tenuiores & leviores, quæ superiora petiêre loca, hinc inde per universum illud spatium, quod sub Cœlo est, dispersæ, & alterô pôst die, expansô aëreô factô, superiùs in nubes condensatæ, aëri adhæserunt, illumque permeârunt, ad hoc eò positæ, ut factâ nubium resolutione, guttatim deciderent, & terram irrigarent. Et per hanc explicationem intelligitur id, quod primô locô objiciebatur.

§.17. Sciendum (3.) *expansum* in *1. Cap. Genes.* describi geminum: *æthereum*, quod primâ die fuit creatum, de quo in capitis primi initio loquitur Moses, ajens: *in principio creavit Deus Cœlum*, quod verum expansum est, & quidem supremum, omnia alia corpora cingens & ambiens: *& aëreum*, quod secundô die fuit creatum, de quo loquitur Moses in *vers. 7.* ajens; *fiat expansum in medio aquarum.* Ubi probè notandum, non dici *expansum cœli*, sed *expansum, quod est in medio aquarum*, dividens aquas ab aquis, nimirum superiores ab inferioribus. Hinc, quando *seq. v. 14.* luminaria dicuntur

facta

facta in firmamento Cœlorum, non est, ut id intelligatur de expanso illo, quod in medio aquarum positum & constitutum dicitur, cum in textu absolutè sit sermo *de expanso cælorum*, sub quo indubiè etiam illud Cœlum, quod primô die fuit creatum, comprehenditur. Et in hoc est responsio ad dubium tertium.

§. 18. Quantum verò ad collectionem additam: si expansum est in medio aquarum, sequitur, tàm supra, quàm infra expansum aquas fuisse constitutas; resp. concedendo illatum; & ita omninò res habet. Est verò hîc sermo & negotium de expanso aëreo, uti quilibet videt, nec ad expansum æthereum sive cœleste vel extendi, vel accomodari se patitur.

§. 19. Quantum ad locum ex *Ps. 148.* in fontibus non est על, sed מעל, quod significat *desuper*. Similis est locus *Psal. 108. v. 5.* ubi sic: כִּי־גָדוֹל מֵעַל שָׁמַיִם חַסְדֶּךָ h. e. *quia magna desuper* (non verò *super*) *Cælos misericordia tua.* Secundùm Scripturam igitur intelliguntur aquæ, quæ sunt desuper, h. e. quæ ex superioriori expansi parte imminent, die von oben am Himmel sind. Ut sit sensus dicti Psaltici, nubes, quæ sunt supra hoc Cœlum, h. e. supra infimam hanc aëris regionem, debere esse præcones Omnipotentiæ Divinæ. Quo eodem modô explicandum quoque *τὸ* מעל *in cap. 1. Genes. ver. 7.* ut sit sensus, Deum fecisse aquas desuper in firmamento sive expanso, vel, quod, quantum ad rem, idem est, in medio expansi, i. e. in aliqua superiori aëris parte.

§. 20. Atque sic constat genuina Scripturæ S. hac de re sententia; sic perstat quantum ad hoc, consensus Aristotelis cum Scriptura Sacra, quæ ipsa sæpissimè, plurimis in locis, Cœlo primitatem & superioritatem inter omnia adscribit corpora, ceu in parte 1. monstratum fuit. Illa verò sententia, quæ aquas supracœlestes statuit, incurrit, quantum ad hoc, vecordiam Scholasticorum, qui vel neglectis, vel non intellectis Hebraicis fontibus, versionem vulgatam se-

cuti, aquas ejusmodi supra extremum Cœlum dari, statuerunt.

§. 21. Deinde, difficultas est de *ignis elemento*. Aristoteles ei locum tribuit non summum quidem, sed propè summum, sub concavo Lunæ, ita vocatô, ipsum collocans; Scriptura verò infimum fermè locum ei tribuere videtur, ceu ex antè *cit. cap. 19. Libr. Sapient.* cernere est. Verùm Resp. (1.) in Libro Scripturæ non invenitur expressus locus ignis; invenitur verò in Libro Naturæ, quò etiam de professo spectat. Et quia Aristot. est optimus hujus Libri Interpres, ex ipso talia discenda sunt. Describit verò is ordinem corporum simplicium *in l. de Mund. c. 3. qui supr. Disp. 3. §. 3.* fuit expositus. (2.) Nec Liber Sapient. agit de ignis elemento, neque de naturali ignis statu. 1. Non de elemento, siquidem de tali igne agit, qui materiæ est immersus, quod non convenit simplici elemento. Deinde, ignis, qui elementum Mundi est, non est ustivus vel combustivus, neque tàm manifestam sensibus cum altero elemento init pugnam, prout *c. l.* describitur. 2. Non de statu naturali ignis. Dicitur enim in *vers. 19. ignis valebat in aquam præter suam naturam, & aqua naturæ extinctricis obliviscebatur.* Quando verò ignis ibi elementum vocatur, vox elementum impropriè sumitur, nimir. metonymicè elementatum pro elemento ponitur.

§. 22. Dicendum igitur tandem est, elementum ignis esse partem expansi elementaris, intra Cœli & aëris superficiem, quod collocatum sit. Hoc enim elementum cum sit omnium simplicissimum, purissimum & præstantissimum, præstantissimum etiam inter elementa (specialiter dicta) habebit locum. Insuper quia est elementorum levissimum, est quoque elementorum supremum. Levia enim superiùs esse gestiunt secundùm naturam, gravia verò inferiùs. Super omnia igitur elementa esse gestit ignis. Si super omnia; ergo super aërem, quippe quô proptereà ignis etiam est levior.

Hæc, uti dixi, ſicut & alia, ad Naturam ſpectantia, quæ in Libro Scripturæ non fuêre expoſita vel propoſita, è Libro Naturæ ſunt diſcenda.

Articulus IV.

De incorruptibilitate Cœli.

§. 23. Scriptura S. docet, Cœlum eſſe interiturum. Non solùm enim dicit, Cœlos eſſe tranſituros, *Matth. 24. v. 44.* & *2. Petr. c. 3. v. 10.* verùm quoque ait, *qui nunc ſunt Cœli & terra, ſervari igni in diem judicii, d. 2. Epiſt. Pet. c. 3. v. 7.* & *per adventum diei Domini Cœlos incenſos ſolvendos eſſe,* δι' ἣν (ἡμέραν τοῦ θεοῦ) οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται, καὶ στοιχεῖα καυσούμενα τήκεται. Ariſtoteles verò Cœlum ſtatuit eſſe ἄφθαρτον, h. e. incorruptibile; *l. 1. Cœl. c. 3.* quod aſſertum in *ſeqq. capp.* repetit. Vid. *cap. 10. 11. & 12.* Ita habet quoque *l. 2. de Cœl. c. 1. t. 2.* & *in lib. de Mund. c. 2.*

§. 24. Sed facilis eſt reſponſio. Scriptura loquitur de ſupernaturali interitu, Ariſtoteles de naturali, ſive, quomodo res in natura ſe habet, ubi (1.) quidquid corrumpitur, ob contraria corrumpitur. Hinc: quidquid non conſtat contrariis, non ſubſtat corruptioni. Cœlum non conſtat contrariis, *ibid. t. 19.* Er. neque corruptioni ſubjacet. (2.) ad naturæ experimentum provocat Ariſtot. *ſeq. t. 22.* *quis enim unquam vidit mutatum Cœlum,* inquiens; quomodo nempe videmus mutari & corrumpi alia corpora. Conf. *ib. t. 100.* Sed hoc nihil ad Scripturam Sacram: nihil contra eam. De conflagratione & deſtructione Cœli in extremo die futura, Sacra loquitur pagina.

§. 25. Imò Cœlum eſſe incorruptibile, non ſolùm ſecundùm naturalem rationem, quâ ductus fuit Ariſtoteles, verùm quoque ſecundùm Scripturam affirmari poteſt. Ariſtot. rationem ſui aſſerti ſumit à defectu contrariorum, quia nimirum Natura excepit Cœlum à contrariis, ſive, quia Cœlum non eſt naturæ elementaris, ſed eſt corpus ſimpliciſſimum,

mum, quintæ & peculiaris cujusdam essentiæ, longè ab elementis & elementaribus corporibus remotum. Eandem hanc rationem Scriptura quoque Sacra suppeditat. Secundùm hanc enim constat, Cœlum productum fuisse cum terra ac cœteris elementis, adeoque non ex ullo elemento, à quo corruptibilitatis defectum participare potuisset. Cui accedit, quod Cœlum, eâd. Scripturâ dicente, super omnia elementa evectum, & summô locô, positum fuit, ne cum corruptibilibus naturis communicaret, aut aliquid corruptibilitatis inde participaret.

§. 26. Cui accedit, quòd Scriptura S. Cœlo rebusque Cœlestibus quandam perennitatem tribuit, æquè ac tribuit Aristoteles. Ita enim in *Psal. 148. v. 1. & seqq. Laudate Dominum de Cœlis*, (sive Coelites) *laudate eum Sol & una, laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum Cœli Cœlorum*, &c. & mox: *statuit ea in æternum, & in seculum seculi; præceptum posuit, & non præteribit.* Ubi videmus, primò Cœlum generatim & universim, deinde speciatim ea, quæ in Cœlo existunt, Solem, Lunam, Stellas cum lumine, Cœlos Cœlorum, & aquas, quæ desuper Cœlis sunt, hæc, inquam, omnia ita à Deo facta esse, ut stent in æternum, & in seculum seculi. Posteà: Psalmista (ut significet, terram cœteraque elementa, & quæ ex eis componuntur, inferiora & ignobiliora esse) mox elementa & elementaria seorsim, suo etiam gradu & ordine Deum collaudantia, absque tamen speciali prærogativa perpetuitatis sive perennitatis, producit *seq. v. 7. seqq. Laudate*, inquiens, *Dominum de terra*, (sive terrestres) *dracones & omnes abyssi; ignis & grando, nix & exhalatio, ventus procellosus, qui verbum ejus prosequitur*, &c.

Articulus V.

De motu Cœli & Cœlestium corporum.

§. 27. Aristoteles docet, *Cœlum semper & incessabili motu moveri, l. 1. Cœl. t. 100.* item *l. 2. Cœl. t. 37.* & *l. 12. Metaph. t. 17.*

r. 17. ait; *non esse metuendum, ut Cœlum stet.* Id quod de cunctis corporibus Cœlestibus est accipiendum. Contrà verò Scriptura S. testatur, Solem & Lunam aliquando stetisse, ceu id descriptum extat in *Lib. Josuæ cap. 10. v. 12. seqq.* ut sic pugnare invicem videaneur Scriptura S. & Aristotelis.

§. 28. Eadem est responsio. Aristoteles loquitur de ordinario Naturæ statu; Scriptura verò de extraordinario. Id quod tum ex pugna & victoria Josuæ colligere est, ubi Dominus, sub mirifico hoc signo pro Israële pugnavit; tùm ex illis capitis verbis, ubi dicitur, *non fuisse talem diem ante illum, nec post illum*, nempe in quo Deus tanta fecerit mirabilia, in *vers. 14.* Nimirum & miraculosa erat Solis statio, & miraculosa Amorrhæi profligatio. Aliàs juxta Scripturam æquè ratâ & perpetuâ lege moventur astra, sibi suæque naturali conditioni relicta, ac juxta doctrinam Aristotelis, ceu vel ex unico *cap. 1. Genes.* videre est, cui jung. *Psal. 104. v. 19. Lunam fecit, ut tempora distingvat, & Sol novit suum occasum.*

Articulus VI.

De ordine & viribus causarum naturalium.

§. 29. Videntur quædam Scripturæ dicta esse, quæ contra nativam agendi virtutem, rebus naturalibus concessam, opponi possunt, ut (1) ex *1. Epist. ad Corinth. 15. v. 28. Deus operatur omnia in omnibus.* Si Deus operatur omnia, & quidem in omnibus, sanè res naturales nihil operabuntur in Natura, quod est contra Aristotelem. In specie (2.) dicitur in *Job. 10. v. 8. Manus tuæ elaboraverunt me, & fecerunt me, quantus quantus sum: sicut lutum fecisti me, meq; redacturus es in pulverem.* In hoc dicto Scriptura Deo tribuit generationem hominis, quam Aristoteles homini tribuit, toties inquiens: *homo generat hominem.* (3.) ex *2. Cor. 3. v. 15. non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Homo igitur, qui Ens naturale est, non erit

potens aut sufficiens ex naturalibus suis viribus agere, quod est contra Aristotelem, homini naturalem vim agendi tribuentem, non solùm in purè naturalibus, quale e. g. est opus generationis, &c. verùm in aliis quibuscunque; ut quando homini scientiam & naturale sciendi desiderium tribuit, *l. 1. Metaph. ca. 1.* quando eidem tribuit actiones morales, cumque hoc nomine *in Libb. Ethic. & Polit.* instruit.

§. 30. Verùm hæc Dicta non sunt contra Aristotelem, rectè intellecta. Imò Scriptura non solùm cum Aristot. verùm secum ipsa pugnaret, si ista Dicta quomodocunq; acciperentur. Tribuit enim & illa rebus naturalibus nativã efficientiam, ceu in *1. part. Tractat.* monstratum fuit. Ad 1. igitur resp. illud Paulinum solùm probare, Deum immediatè attingere omnes effectûs; id quod non tollit efficientiam causarum secundarum, quam habent acceptam & dependentem à Deo, & per quem à Deo simul & ab ipsis (effectus) proveniunt, siquidem hoc ipso, quô operantur creaturæ, operatur & Deus, imò operari nostrum est operari Dei; in ipso enim sumus vivimus & movemur, adeoque & operamur. *Actor. 17. v. 28.*

§. 31. Ad 2. est eadem responsio. Summa rei est manetque in hoc: operari nostrum est operari Dei. Cooperatur enim nobis, sive, quod idem est, ad operationes nostras concurrit. Aliàs æquè Scriptura S. ac Aristot. dicit, hominem generare hominem. In *Gen. 5. v. 1. hic est liber generationis Adam, qui genuit filium ad similitudinem suam, & vocavit nomen illius Seth, v. 3. genuitq; filios & filias, seq. v. 4.* & mox: *Seth genuit Enos, v. 6.* & posteà alios filios & filias genuit, *v. 7.* &c. In generatione verò viventium, aliarumque rerum naturalium, operatur Deus ut causa universalis; homo, canis, leo, planta (hæc, illa, ista) operantur uti causæ particulares.

§. 32.

§. 32. Ad 3. facilis est responsio. Illud loquitur de operibus supernaturalibus & spiritualibus, per quæ homines Deo placent complacentiâ speciali, de quibus certum est, quòd ea homo non possit præstare propriis viribus, sed ad ea gratiam & speciale auxilium Dei requirat, vel, eo indigeat. Ut proinde dictum illud Apostolicũ hîc planè sit impertinens.

Secunda Supplementi pars,

Unam atq; alteram objectionem, de æternitate Mundi, exhibens.

§. 33. Proferunt ex *l. 8. Phys. t. 48. & 56. Deus & Natura ex possibilibus semper facit id, quod melius est.* Meliùs autem est, Mundum esse, & semper esse, quàm non esse, aut non semper esse. Est autem hoc possibile. Qui enim factus est, potuit antè fieri, & ab æterno fieri, nisi fortè Dei potentia varietur, suspiciens magis & minùs. Porrò: sicut meliùs est esse, quàm non esse, ita procul dubio meliùs est semper esse, quàm non semper esse. Mundum igitur semper fuisse, & semper fore meliùs est, quàm non semper fuisse, aut non semper fore. Er. Deus ab æterno Mundo fecit.

§. 34. *Resp.* Ita quidem formari solet discursus. Sed sciendum 1. Aristot. *dd. in ll.* nihil de æternitate Mundi vel proponere, vel intendere. 2. istis in locis nullam *Dei* fieri mentionem, ceu intuenti textûs patebit, sed tantùm *Naturæ*, ut proptereà argumentum sit evanidum. 3. Ex superabundanti verò respondemus. Non alia sempiternitas inde elici potest, quàm naturalis, sive ea, quæ Naturæ conveniens est, & (si argumentum est Aristotelis, uti eô utentes putant) quam Arist. intendit. Aliàs, quantũ ad rem ipsam dicendum, 1. Naturam facere optimum, quod potest. At motus æternitas non est opus solius Naturæ, sed simul etiam & maximè moventis liberè; 2. Deum verô non absolutè facere optima, cum possit in infinitum meliora facere; licèt semper faciat id, quod, spectatis

ris omnibus circumstantiis, magis convenit. Fuit autem magis conveniens, ut creationem Mundi in initio temporis moliretur, id quod ne quidem Aristotelem latuisse, *in 1. part. Tractatus* ostensum fuit, quamvis determinati temporis initium, quod nos ex Scripturis cognitum habemus, ipsum latuerit.

§. 35. Afferri quoque solet ex *l. 12. Metaph. t. 30.* ubi dicitur, *Deum esse ejusmodi Ens, ut substantia ejus sit actus, omni carens potentiâ.* At si non semper operaretur Deus, sed aliquando ageret, aliquando verò ab actione vacaret, interdum esset opifex potentiâ, interdum actu. Quare non omninò esset expers potentiæ. Includamus Syllogismô: quicunque non semper operatur, sed aliquando agit, aliquando verò ab actione cessat, ille non est purus actus; est enim aliquando opifex potentiâ, aliquando actu. Atque Deus est actus purus, omnis omninò potentiæ expers. Er. Deus non operatur aliquando, & aliquando ab actione cessat; adeoque Mundum si condidit, eum ab æterno condidit.

§. 36. Resp. 1. distingv. inter *effatum* Aristotelicum, & ejusdem *intentionem*. Effatum quidem est Aristotelis, *Deum esse purum actum*, & in eo nihil esse potentiâ; ipse verò non intendit, relinquere isto effatô argumentum pro æternitate Mundi. Ut præter ejus intentionem istud inde fabricetur argumentum. 2. Minor est Aristotelis; Major verò est ratiocinatio Metaphysica, quam, absolutè acceptam, negamus, & distingvimus inter *actiones finitorum agentium*, & *actionem Dei.* Major vera est [illegible] actionibus & agentibus finitis. Longè verò aliter se res habet in Deo, qui simplicissimè per intellectum & voluntatem agit, quæ vult, & quando vult. Voluit verò, ut res in tempore, & non ab æterno (voce strictè acceptâ) essent sive existerent; igitur etiam per illud velle res non ab æterno extiterunt, sed in tempore. Imò denique, esse opificem vel Creatorem, est respectus quidam Dei ad creaturas, in creaturis quidê realiter existens, in Deo autem non nisi secundùm rationem. Quare aliquid de novo facere, nullam novitatem aut varietatem ponit in Creatore, sed tantùm in creaturis. Ideò enim dicitur de novo Creator, quia aliquid de novo creatur ab ipso, sive propter novitatem creaturæ, id quod etiam rectè & verè diceretur, si Deus hodiè aliquid de novo crearet. Ut ita nulla sit facta in Deo mutatio, sed in creaturis, utpotè quæ anteà nullo modô erant, jam sunt actu.

FINIS.

DISPUTATIO IX.

SECTIO III.

Anthropologiam exhibens Aristotelicam.

Articulus I.

De partibus essentialibus hominis.

§. I.

DUas esse partes essentiales hominis, tàm Aristot. quàm Scriptura S. uniformiter docent, ceu in *1. Tractatus parte* monstratum fuit. Videtur verò Scriptura S. alicubi innuere tres partes substantiales hominis, nimirum, *corpus, animam rationalem* & *spiritum*, ceù videre est in *1. Thessal. 5. v. 23.* ubi ita Apostolus: *integer vester spiritus & anima & corpus inculpatè servetur in adventum Domini* &c. Cui accedit *Luc. 1. v. 45. & 46. Magnificat anima mea Dominum, & spiritus meus exultavit in Deo Servatore nostro.*

§. 2. Videturque hoc latescere argumentum: Quomodo Scriptura S. de partibus essentialibus hominis loquitur atque statuit, ita quoque Physicam de partibus essentialibus hominis loqui atque statuere par est. Sed ita loquitur atque statuit de partibus essentialibus hominis Scriptura S., ut tres nominet, *corpus, animam,* & *spiritum.* Igitur Physicam sive Physicum tres statuere partes essentiales hominis decet. Hoc quia non fecit Aristot. ideò à Scriptura S. hoc in doctrinæ capite dissentire dicendus venit.

§. 3. Verùm (1.) hoc argumentum non tantùm Aristot. opponitur, verùm aliis sanioribus Physicis, imò ipsi Scientiæ Physicæ, quæ non nisi duas partes essentiales hominis novit atque statuit. Imò (2.) Ipsi Scripturæ S. ista opponuntur, quæ sibi dissentiens hoc pactô redditur. Reverà enim ea duas esse substantiales hominis partes, & non plures, docet,

& quidem in plurimis locis. (3.) Dicta opposita nō sunt Physica, seu res naturales describentia; verùm Theologica, res sacras & spirituales continentia. (4.) Distingvendum igitur, quòd de *homine*, quantum ad hoc, loqui queamus dupliciter: 1. uti *homo naturalis* est, principiis suis naturalibus & substantialibus, corpore organicô & animâ rationali, constans; 2. uti *pius & regenitus* est. Dicta illa non loquuntur de homine, uti homo est, sive, uti secundùm sua naturalia se habet, sed secundùm spiritualia, & prout in regno gratiæ considerandus venit.

§. 4. Et hinc resp. 1. ad dictum Apostoli, illud loqui de dono sanctificationis, id quod antecedentia ostendunt verba, quando dicitur; *ipse Deus gratis sanctificet vos*. Resp. 2. ad locum *Lucæ cap. 1.* quòd ibi per *Spiritum* intelligatur anima nostra rationalis, quæ & alibi in Sacris appellatur Spiritus, ut *Genes. 2. v. 7.* & *Eccles. 12. v. 7.* Imò quod Maria hîc dicit de Spiritu, sive de spirituali parte hominis, id Propheta (Esaias) tribuit animæ, inquiens: ***anima mea exultat in Domino, Esaia 61. v. 10.***

Articulus II.

De Unitate animæ in homine

§. 5. Aristoteles in homine statuit tres animas, Scriptura S. verò tantùm unam. Er. invicem dissentiunt. Antecedens probatur, quà Aristot. quidem; is *l. 2. de gener. animal. c. 3.* docet, in conceptibus & fœtibus primùm inesse animam vegetativam, deinde sequi animam sensitivam, deniq́ue succedere atq́ue extrinsecùs accedere Mentem sive animam rationalem. Tres igitur juxta Artst. sunt animæ in homine. Scriptura verò tantùm unam animam nominat tribuitq́ue homini, ut in *cit. Luc. c. 1. v. 45. Esa. 61. v. 10.* maximè *Genes. c. 1. v. 7.* ubi unius spiraculi, h. e. unius animæ meminit.

§. 6. Ve-

§. 6. Verùm & in Scriptura S. & in Aristot. nunc unam invenimus hominis animam, nunc plures; sed diversâ ratione. Aristoteles unicam indigitat animam, tanquàm ultimam & specificam, quando ait; *restat, ut Mens (νοῦς) extrinsecùs accedat*, &c. per quam (suâ phrasi loquens) animam rationalem intelligit. Scriptura S. ait, *spiraculum* (נשמת) *vitarum inspiratum fuisse primo homini, Genes. 2. v. 7.* & tale inspirari aliis quoque, *Job. c. 33. v. 4. Sapien. ca. 15. v. 11.* Utrinque unum spiraculum, sive una Mens. Rectè sic. Et hoc pactô patet consensus quantum ad unitatem animæ. Quantum verò ad pluralitatem, illa in allegato Aristot. loco (alia ut hac vice mittamus) satis clarè patet. Latet quoque illa in phrasi Scripturæ, quando vocat *spiraculum vitarum*, נשמת חיים. quâ phrasi plures vitæ, adeoque plures animæ clarè significantur. Et notat נשמת חיים indole Linguæ Sanctæ, quæ superlativô caret, nobilissimam animam, quæ reliquarum animarum, quas supponit, apex sit & fastigium, non aliter, ac quando dicitur *Cælum Cælorum*, item *Orbis terrarum*.

§. 7. Et quas hîc appellatione spiraculi vitarum indigitat animas Scriptura S., inferiores, puta, animæque rationali subordinatas, scilicet vegetativam & sensitivam, easdem Eadem Scriptura S. alibi indigitat, & κατὰ τὴν διάνοιαν nobis suppeditat. Argumentum est hoc: Scriptura S. nobis distinctarum animarum operationes monstrat in homine: Igitur nobis monstrat distinctas animas in homine. Antecedens patet, siquidem 1. monstrat generationem (activam) in homine, quæ est opus animæ vegetativæ, neutiquam sensitivæ, aut etiam rationalis. 2. monstrat sensûs in homine, qui sunt animæ sensitivæ, & nullius alius; 3. monstrat peculiares in homine operationes, immateriales, puta, & inorganicas, quæ non nisi ab anima rationali procedunt. De his latiùs vid. *supr. par. 1. Tract. sect. 3. Theor. 2. p. 125. sq.*

Articulus III.

De mortalitate hominis, & opposita immortalitate ejusdem.

§. 8. Scriptura S. testatur, quòd primus homo à Deo conditus fuerit *ἐν ἀφθαρσίᾳ Sapien. c. 2. v. 22.* Tremellius reddidit: *ad conditionem incorruptam.* Igitur primus homo erat immortalis, & ἄνευ φθαρτικῆς κακότητος. Idem Dd. Theologi deducunt ex imagine Dei, ad quam conditus primus homo, *Genes. 1. v. 27.* Imago Dei, dicunt, complectitur immortalitatem. Quomodo enim homo potuisset imaginem Dei immortalis, ipse mortalis exprimere? Id quod in *cit. cap. 2. Lib. Sapien.* exprimitur. Postquam enim dictum ibi, conditum fuisse hominem ἐν ἀφθαρσίᾳ, additur veluti per *αἰτιολογίαν, & ad imaginem ipsissimæ suæ Naturæ fecerat illum.*

§. 9. Sed quid sentit hac de re Aristoteles? Ejus doctrina est, omne vivens esse mortale, siquidem calidum & humidum nativum, in quo vitam esse ait, dissolvi possunt. Dissolvi igitur potest & ipsa vita. Ex *lib. de Vit. & Mor. c. 5.* item *l. de Long. & brev. vit. c. 4.* At verò primus homo erat vivens, sive è numero viventium. Igitur primus homo, judiciô Aristotelis, mortalis fuit, neutiquam immortalis. Accedit *l. 3. Metaph. c. 4. t. 15. quod cibô indiget*, inquit, *quomodo sempiternum*, adeoque quomodo immortale *erit?* At verò primus homo indigebat cibô. Quomodo ergo potuit esse immortalis? En dissensum Aristot. à Scriptura S.

§. 10. Verùm nullus ibi dissensus: Utrumq; habet Scriptura S. h. e. & mortales, & immortales fuisse primos homines ante lapsum, satis clarè docet, ut, si illimitatè allegata dicta Scripturæ accipere velimus, eam secum ipsa pugnantem reddere facilè queamus. Distinctione igitur res expedienda venit. Dicitur aliquid *mortale*, uti & *immortale*, quantum ad præsens, dupliciter: 1. *intrinsecè* & per naturam, sive, ex con-

ex condirione naturæ; 2. *extrinsecè*, ob rationem status, qui in homine varius occurrit.

§. 11. Nunc dicenda veniunt sequentia. Primò, quantum ad Aristot., ille ut Physicus loquitur de interna & nativa viventium proprietate. Omnibus enim viventibus ex naturæ suæ conditione inest mortalitas, sive potentia moriendi, ob rationes ex Aristot. allatas. Quia verò primi homines erant in viventium numero, quin communi istâ viventium proprietate affecti fuerint, dubium est nullum. Et hoc ex ipsa Scriptura probatum dedimus in *par. 1. Tract. sect. 3. Theor. 8. p. 144. sq.*

§. 12. Quantum igitur deinde ad Scripturam S. illa geminum assertum continet; (1.) hoc: *primus homo ante lapsum intrinsecè & naturâ erat mortalis*; (2.) *primus homo ante lapsum extrinsecè & ratione status non erat mortalis, sed immortalis.* Quod utrumque assertum ut intelligamus, duo insuper notanda sunt. I. *Primus homo* potest considerari dupliciter: 1. *ut homo*, h.e. uti vivens erat, corpore elementari & animâ rationali constans, in quo essentialiter cōveniebat cum omnibus hominibus; 2. *uti ex gratia in integritate vitæ constitutus*, & arbore vitæ donatus erat; quod jam erat peculiare in Protoplastis, & specialis prærogativa, qua posteros suos longissimô post se reliquêre intervallô. II. *Immortalitas*, quantum ad præsens, sumitur dupliciter: vel, *uti dicit negationem potentiæ moriendi*, vel, *uti dicit negationem mortis*, sive, si mavis uti terminis aliorum Doctorum, vel *uti dicit non posse mori*, vel, *uti dicit posse non mori*. Quibus ipsis verbis, quamvis diversis quodammodò, idem dicitur, quod prior exponit distinctio. Etenim *non posse mori* dicit *negationem potentiæ moriendi*, at verò *posse non mori* dicit *negationem actus moriendi.*

§. 13. Ex hisce jam percipitur utrumque illud assertum ex Scripturis depromtum. Nimirum (1.) primus homo ante

 lapsum,

lapsum, h. e. adhuc in statu integritatis constitutus, & arbore vitæ donatus, immortalis erat, uti τὸ *immortale* dicit negationem actus moriendi, h. e. poterat non mori, siquidem 1. privilegium non moriendi acceperat. 2. se præservare poterat à morte beneficiô arboris vitæ, ob id in Paradisum positæ, & Protoplastis hac de causa, ad vescendum ex ea, datæ, de qua immortalitate loquitur Scriptura, quando primis hominibus immortalitatem tribuit. (2.) Hæc verò immortalitas, sive hic immortalitatis modus non tollit in primis nostris Parentibus, in statu integritatis adhuc degentibus δύναμιν sive potentiam moriendi; negatô enim aut sublatô actu, non tollitur potentia. Imò, τὸ *posse non mori*, quod hac speciali ratione Protoplastis datum, supponit in ipsis τὸ *posse mori*, sicut aliàs in talibus negatio actus supponit in subjecto, de quo actus negatur, potentiam ad illum actum, sicut posse non loqui supponit in non loquente potentiam loquendi. Et hoc modô constat atque perstat primum Scripturæ assertum, §. antec. positum, de quo in *1. par. Tract. sect. dict. Theor. 8. p. 148. sq.* plura.

Articulus IV.

De principiis generationis humanæ.

§. 14. Aristoteles *in libb. de gen. animal.* docet, generationem hominis fieri ex mare & fœminâ, hac ὕλην, h. e. materiam, illo γονὴν, h. e. genituram sive principium activum generationis suppeditante, *l. 1. gen. anim. c. 2.* item *c. 20. 21. & 22.* Id de omni generatione humana, imò de omni generatione animalium viviparorum perfectorum dictum voluit. At verò contrà Scriptura S. tradit, quandam generationem humanam factam fuisse sine mare, generationem nimirum Christi θεανθρώπου, cujus conceptio describitur *Luc. 1. v. 34. sq.* ubi inquit Maria ad Angelum: *quomodo erit istud, siquidem virum non cognosco? respondens verò Angelus dixit ei, Spiritus*

S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι.

§. 15. Resp. 1. Ipsa Scriptura S. ad generationem hominis conjunctionem maris & fœminæ requirit, atque hanc ob causam Deum masculum & fœminam creâsse, ipsisque hoc nomine benedixisse, & generationis opus injunxisse, refert *Genes. cap. 1. v. 28.* Imò 2. ne quidem Aristoteles, in hoc Scripturæ consentiens, ita tradit de principiis generationis humanæ, ut neget, eam ullo modô sine conjunctione maris & fœminæ fieri posse; sed, physicos intra limites consistens, physicum generationis opus describit, eique suas causas assignat, marem & fœminam.

§. 16. Ut igitur verbô dicamus, quod res est, tàm Aristoteles, quàm Scriptura S. loquuntur *de naturali & ordinaria hominis generatione*, respiciuntque primam Naturæ institutionem, quam Moses in Sacra Geneseos historia descripsit, Aristoteles verò è Libro Naturæ perspexit. Scriptura verò Novi Testamenti apud *Lucam cap. 1.* non describit opus Naturæ, sive non describit naturalem & ordinariam generationem, sed extraordinariam & planè supernaturalem, ceu pluribus ex Sacra Historia est cernere. Hoc verò opus, sive conceptio & nativitas Christi incognita fuit Aristoteli, nec ea ad Philosophum, in quantum quidem Philosophus, attinet, ut is hoc in negotio nihil affirmare, nihilque negare habeat.

Articulus V.

De partu Virgineo.

§. 17. Virginem sive fœminam, quæ marem non fuit passa, non parere, ex doctrinâ Aristot. & liquidum est, & notum. Scriptura verò S. Virginem peperisse testatur. *Esaiæ c. 7. v. 14. ecce virgo concipiet,* &c. Et *Matth. 1. v. 20. quum mater ejus* (Salvatoris) *desponsata esset Joseph, priusquam congressi fuis-*

fuissent, deprehensa est gravida è Spiritu S. Quod clariùs proponitur apud *Luc. c. 2. v. 31.* ubi Angelus sic ad Mariam: *ecce concipies in utero, & paries filium.*

§. 18. Verùm eadem ad hoc est responsio. Aristot. loquitur *de naturali & ordinaria hominis generatione*, quâ homo, juxta ordinem Naturæ à Deo institutum, generat homiminem, quo ipso in negotio ipsam quoque Scripturam habet consentientem; *Christi verò conceptio & nativitas non fuit ordinaria*, non fuit conformis ordini & legi naturæ, sed fuit planè singularis, extra & supra naturæ conditionem atque constitutionem facta, id quod ex circumstantiis Nativitatis, quas S. exponit Historia, uberiùs percipitur.

Articulus VI.

De Semine animato & inanimato.

§. 19. Aristotelis constans est sententia atque doctrina, *semen non esse animatum actu*, verùm *inanimatum actu*, & *animatum potentiâ*, ceu vel unicè è *l. 2. gener. animal. c. 3.* videre est. At verò videtur, juxta Scripturam S. contrarium esse statuendum. Dicit enim docetque ipsa, nos ex immundo concipi & pronasci semine. Sic enim *Jobi c. 14. v. 4. Quis dabit mundum de immundo?* Additur in Vulgata Versione vox *Semen*, quæ non extat in Fontibus. Et in *Psalm. 51. v. 2. ecce, in iniquitate formatus sum*, & *in peccatis concepit me mater mea.* Inde fluit argumentum: ubi immundities & peccatum, ibi quoque est anima, tanquàm subjectum peccati. Sed in semine atque conceptu est immundities & peccatum. Er. in semine atque conceptu est anima, tanquam subjectum peccati.

§. 20. Verùm resp. limitando: Ubi est peccatum actu & formaliter, ibi est peccati subjectum actu & formaliter, nimirum anima, & quidem rationalis. Jam non potes subsumere: In semine est peccatum actu & formaliter; hæc enim

enim propositio falsissima est, imò absurdissima. Si enim peccatum actu & formaliter est in semine; sequuntur hæc absurda; semen esse actu & formaliter hominem peccatorem, adeoque indigere lavacró regenerationis; semen à Deo posse in gratiam recipi propter Christum, &c. quæ omnia sunt magna absurda, neque in S. Theologia locum habere possunt. Contrà, ita res habet, uti hæc monstrat argumentatio: ubi non est humana natura actu, ibi nec anima humana, nec peccatum actu. Sed semen, sive in semine non est humana natura actu, uti quilibet sanorum non concedere solùm, verùm quoque fateri tenetur. Et in semine non est anima, neque peccatum actu.

§. 21. Ita, inquam, res habet, uti docet Aristoteles *d. l. 2. de gen. anim. c. 3. omnia haberi priùs potentiâ, quàm actu*, adeoque & animam quamque priùs potentiâ haberi in conceptu convenit, quàm habeatur actu. Unde semen potentiâ animatum statuit, adeòque potentiâ rem ipsam. *Semen est corpus & corporis partes δυνάμει* seu *potentiâ*, ait *l. 1. gen. anim. c. 18. & c. 19.* & *semen est id, quod potest tale corpus evadere, l. 2. de anim. c. 1. t. 10.* item, *semen non nisi potentiâ habet formam, lib. 7. Metaph. c. 9. t. 31. lib. 9. Metaph. c. 8. t. 13.* & pluribus in locis. Sed hac de re plura in *Lib. de nat. Sem.* Sic semen immundum non est homo peccator, sed id, quod evadere, sive, ex quo fieri potest homo peccator.

Articulus VII.

De corporis humani corruptibilitate.

§. 22. Corpus humanum, juxta Aristotelem, ex sua natura corruptibile est. Quodcunque enim corpus constat ex contrariis, id suâ naturâ corruptibile est, ex *lib. de long. & brev. vit. c. 3. & 5.* Sed corpus humanum constat ex contrariis, siquidem constat ex quatuor elementis, quæ contrariis affecta sunt qualitatibus. Igitur corpus humanum ex natu-

ra sua est orruptibile. Si ex natura sua est corruptibile; ergo non incorruptibile, id quod est contra Apostolum Paulum, in *1. ad Corinth. ca. 15. v. 42.* ubi docet, corpus nostrum aliquando futurum incorruptibile, *seminatur in corruptione,* inquiens, *resurgit in incorruptibilitate*, ἐν ἀφθαρσίᾳ, &c.

§. 23. Verùm (1.) Aristoteles loquitur de corpore humano juxta naturalia sua, & quà substantiam suam æstimato; Scriptura verò S. in cit. loco de corpore humano, uti se habebit & fulgebit in Statu alterius Vitæ. Hîc verò valet Regula: *Status & conditio ita vel aliter se habendi in re aliqua, non mutat ejus substantiam, aut substantialia sive substantiam attinentia prædicata.* In omni igitur statu eadem natura corporis humani. Quod igitur corpori humano ex natura sua competit, substantiamque ejus attinet, aut ex ea fluit, id per nullum vitæ humanæ statum ei adimitur. Atqui verò corruptibilitas corporis humani fluit ex ipsius natura; naturam enim elementarem sequitur corruptibilitas, & hæc ita connexa est cum ea, ut ab ea separari nequeat, quomodo docilitas connexa est cum homine seu natura humana, ut ab ipsa non separaretur.

§. 24. Igitur sciendum (2.) posse aliquid dici *corruptibile*, aut etiam *incorruptibile*, dupliciter; vel *intrinsecè* & ex natura sua; vel *extrinsecè* & ratione status, aut alicujus circumstantiæ externæ, rei talem conditionem tribuentis. Nunc intelligitur, corpus humanum in altera vita manere corruptibile in se & in ratione talis corporis, vi argumenti eam in rem facti; futurum verò esse incorruptibile extrinsecè, ratione status, in quem translatum, & quem decebat tale privilegium, sive talis donatio, ex gratia Redemtoris collata. Et hoc totus docet contextus: Ita habent sequentia: *seminatur in ignominia, resurgit in gloria; seminatur in infirmitate, surgit in potentia; seminatur corpus animale, resurgit corpus*

pus spirituale, Verbô: dotes vitæ æternæ ab Apostolo exponuntur.

§. 25. Argumentamur verò: Quomodo intelligitur resurgere corpus spirituale, ita quoque resurgere corpus incorruptibile intelligendum venit. Sed dicitur & intelligitur resurgere corpus spirituale quantum ad statum & conditionem novæ vitæ, nimir. æternæ. Er. ita quoque intelligendum est resurgere corpus incorruptibile. Major de se patet; eadem enim, quantum ad hoc, est ratio dotium l. d. ab Apostolo expressarum; Minor probatur; neque enim futuri sumus Spiritus quà οὐσίαν seu substantiam, neque corpora nostra mutabuntur substantialiter in corpora spiritualia; talis enim mutatio est planè impossibilis; quin imò repugnat, dari corpus quà substantiam spirituale. Intelliguntur igitur corpora spiritualia ob conditionem & rationem Status, in quo tùm degent, nimirum Status gloriæ, qui talia requirit corpora, quibus similes simus Angelis. Unde ἰσάγγελοι futuri dicimur, minimè verò Angeli. Nimirum quas perfectiones Angeli habent ex natura sua, corpora nostra aliquando habebunt ex gratia. Igitur quia Angeli naturâ suâ sunt corruptibiles, corpora nostra ex gratia possidebunt ἀφθαρσίαν, ut secundùm eam Angelis similes reddamur.

§. 26. Et hoc ipse significat Apostolus, quando subjungit: *& est corpus animale, & est corpus spirituale, vers. 44.* Et *seq. v. 46. At non primùm quod spirituale, sed quod animale, deinde, quod spirituale.* Nimirum, animale hac in vita, ante resurrectionem; spirituale altero in seculo, post resurrectionem; & tamen numerô unum idemque corpus manebit; quod hic animale fuit, ibi spirituale futurum est, siquidem substantia corporis non mutatur, sed eadem manet in altera, quæ est, fuitve in hac vita. Etsi hanc specialem de distinctis hominis statibus doctrinam ignoravit Aristoteles, nihil

tamen contra eam posuit, aut statuit: Et quia ignoravit eam, imò planè nescivit, ideò ab ea dissensisse, aut contra eam statuisse dici nequit.

§. 27. Sed inquis: ista assertio de intrinseca corporum glorificatorum corruptibilitate magnam in eisdem ponit imperfectionem. Resp. nullam; nullam omninò. Etenim Deus naturas rerum, & quæ illas attinent, condidit bonas atque perfectas. Atqui corruptibilitas rerum, earum attinet naturas, ex illisque fluit. Er. corruptibilitas rerum (corporum) bona erit, sive bonum quid. Assumtum probatur. Sive enim potentiam primam & remotam, sive potentiam proximam in corruptibilitate spectes, eam Deus corporibus dedit & indidit. Potentia prima est penes materiam primam; hæc enim δύναμιν τῆς ἀντιφάσεως (sive ad esse & non esse) in se continet, imò ipsa δύναμις est. Potentia secunda corrumpendi est penes materiam elementarem, quæ contrariis gaudet. Unde illud principium Aristotelicum: *Omne constans ex contrariis elementis naturâ suâ corruptibile est.*

§. 28. Utemur præterea geminâ distinctione. I. *Corpora glorificata* considerari & dici possunt dupliciter: vel *formaliter, in sensu composito*, h. e. in quantum talia sunt; vel *materialiter, in sensu diviso*, de corporibus gloriâ affectis, sive, quæ in statu gloriæ collocata sunt. Quando corpora glorificata dicuntur esse corruptibilia, hoc non est accipiendum de illis ratione ipsius formalis, sive, in quantum glorificata sunt; sed ratione materialis, h. e. ratione corporalitatis, sive, in quantum corpora sunt, ex materia, & quidem elementari constantia. Adeòque porrò, si ibi ulla subesset imperfectio, ea non caderet in corpora glorificata, quat. talia sunt, sed in corpora sive in corporalitatem ipsam, quæ potentiam ad non esse includit, sive in se continet, & hoc, uti dictum, propter materiam, ex qua constat. II. Dicitur aliquid *imperfectum*, uti & *perfectum*, dupliciter; 1. *absolutè & in se*; 2. *compara-*

paratè sive *in ordine & collatione ad alia.* Entia corruptibilia non dicuntur imperfecta in se & absolutè, sed in respectu & comparatione ad incorruptibilia, qualia sunt illa entia, quæ suâ naturâ sunt incorruptibilia.

SECTIO VI.

De anima rationali.

Articulus I.

De ortu animæ rationalis.

§. I.

ANimam nostram rationalem mediante semine non traduci aut produci à genitoribus, sed eam extrinsecùs accedere ad corpus generatione efformatum, in par. 1. hujus Tractatus ex Aristot. ipsaque Scriptura S. probavimus. Sunt verò, qui isti sententiæ opponunt quædam Scripturæ dicta, quibus traducem seminalem, uti putant quidem, probare, creationemque animarum irritam reddere satagunt. Opponunt autē (1.) Benedictionem Divinam *Genes. 1.* ubi hominibus dicitur à Deo: *crescite & multiplicamini*, &c. Hoc autem nō solùm ratione corporis, tanquam materiæ, verùm quoq; ratione animæ, tanquam formæ & potissimæ partis intelligendum esse, traducis Patroni probant his ipsis argumentis. 1. Qui progenerat totum hominem, is generando quoq; producit potissimam ejus partem, scil. animam rationalem. Sed genitores progenerant totum hominem. Er. genitores progenerant quoque præcipuam ejus partem, nimirum animam rationalem. 2. Ubi idē sese multiplicandi & propagandi principium, ibi idem illius principiatū seu effectus. Sed idem sese multiplicandi & propagandi principium est in hominibus, quod in aliis animantibus, nempe Benedictio Divina. Er. in illis idem effectus, h.e. progeneratio similis secundùm speciē, adeòque animæ rationalis progeneratio. Si verò anima rationalis ab hominib9 progeneratur, ipsa à Deo non creatur.

§. 2. (2.) Proferunt dicta *Jobi c. 14. v. 4.* & *Psalm. 51. v. 6.* & h. m. argumentantur: Propagatô à parentibus accidente, propagatur quoque ejusdem subjectum. Sed à parentibus propagatur accidens, nimirum peccatum originis. Er. propagatur quoque à parentibus ejusdem subjectum, nimirum anima rationalis. Si hoc; Er. ipsa à Deo non creatur, aut aliàs forinsecùs accedit, quæ Aristot. fuit sententia.

§. 3. Verùm ista dicta non sunt contra Aristotelem, aliàs essent quoque contra ipsam Scripturam, adeoque hæc secum ipsa pugnaret. Dictum *Genes. 8.* est impertinentissimum, & argumenta inde formari solita nullius hili sunt, nullius pili, uti in *Differt. de propagat. an. ration.* demonstratum. In primo negatur Major, non tantùm ut falsa, verùm ut absurda. Vide sis similes argumentationes: Qui producit totum, is producit omnes ejus partes. Sed Architectus producit totum, nempe domum. Er. Architectus producit omnes partes domus. Producit ergo lapides, calcem, ligna, lutum, tegulas, &c. absurdè! Videsis adhuc unum: qui efficit parietem album, aut flavum, aut viridem, is efficit quoque candorem, reliquosve colores. Sed pictor, e. g. dealbator efficit parietem album &c. Er. Dealbator efficit ipsum candorem, &c. Talia argumenta rustica sunt, & indigna doctis auribus. Imò deinde, ne quidem genitor sive parens producit corpus organicum prolis. Hoc enim post conceptionem fit succesivè. Ante perfectam verò conceptionem mori potest genitor; queî ergo producet aut efficiet ipso corpus organicum futuræ prolis? Longè aliter de opere generationis animalium sentiendum est. Verbô hîc: Sufficit generanti, ipsum semine prolificô aspersisse uterum genitricis, quod (semen) locô & vice parentis agens, fabricat corpus organicum ceu *in Lib. de anim.* pluribus exposuimus.

§. 4. Resp. ad alterum argumentum, limitando propositionem

positionem: Ubi idem principium eodem modô ratione primariæ intentionis se habens, ibi idem principiatum, quantum ad rem; hîc admissâ Majore, & concessâ Minore, conceditur quoque conclusio; Et. apud homines generantes idem effectus, nimirum generatio similis à simili, quantum ad rem. Sed æquè juxta doctrinam Aristotelis homo generat hominem, (quod quidem dicterium ille sæpiùs ingeminat, *l. 2. Physic. cap. 2. t. 26.* & *cap. 7. t. 71. lib. 7. Metaph. c. 7. t. 22. lib. 12. Metaph. c. 3. t. 13. lib. 12. Metaph. c. 4. t. 24.*) ac canis canem, leo leonem, &c. Quantum verò ad alteram consequentiam: si ab homine est progeneratio similis secundùm speciem, ab homine quoque est animæ rationalis progeneratio; ea non invenit locum. Nec ea unquàm firmiter probari poterit. *Firmiter*, dicitur. Faciat periculum, qui catum & acutum disputatorem se æstimat. Nihil igitur locus ille Genes. contra creationem animæ rationalis. Generatio & propagatio generis humani inculcantur, quam etiam Aristoteles docet; neutiquam verò animæ nostræ creatio negatur.

§. 5. Ad ultimam objectionem ex *Job. 4.* & *Psal. 51.* formatam alibi abundè responsum fuit. Breviter h. l. Vox *propagationis* ambigua est. *(1.)* Aut *propagatio* includit productionem, aut ab ea præscindit, uti explicavimus *in lib. de animo. sect. 2. §. 211. seqq. p. 326. sq.* (2.) Aliud est *propagatio*, aliud *propagatio per traducem*, quæ differunt tanquam genus & species. Hinc dicimus: Propagatô accidente, præcisè de propagatione loquendo, propagatur quoque ejus subjectum, quantum ad rem; conceditur, siquidem uti accidens extra subjectum existere nequit, ita quoque extra illud nequit propagari. Hoc modô concedimus argumentum, cujus conclusio nô est contra Aristotelem, aut ullum creationem animæ nostræ statuentem. Estque hîc tenenda Regula: *Propa-*

gatio

gatio animæ rationalis non est opponenda ejus creationi, uti nec animæ creatio ejusdem propagationi; ut proinde illa altera, quæ sequitur, consequentia nulla sit.

§. 6. Not. quòd dictum in limitatione propositionis: *quantum ad rem.* Exulare enim jubemus (1.) illum propagationis modum, quô productio rei propagabilis includitur. Neque enim omne propagans id, quod propagat, producit. E. g. Pater nobilis propagat nobilitatem, nec tamen causa ejus productiva est, aut dici potest, propriè & accuratè loquendo. Sic homo peccator generando propagat peccatum, neque tamen dici potest, hominem generantem producere peccatum originis, aut ejus causam effectricem esse, cum ne quidem peccatum talem causam habeat, aut admittat. Exulet (2.) quoque ab anima rationali modus propagationis per traducem, præcipuè juxta Tertullianum, Epicuri vestigia prementem, aut juxta aliquem hodiernorum Novatorum (contra quos Dn. D. Jac. Martini beatæ recordat. disputavit) acceptæ aut explicatæ. Talis enim traductionis modus animæ nostræ rationali non uno nomine repugnat, ceu alibi ostensum. Nihil ergo hactenus vel Aristot. contra Scripturam S., aut hæc contra illum, & salvam rem esse vident, quibus non est fungus præ cerebro.

Articulus II.

De animæ nostræ immortalitate.

§. 7. Hanc in Scripturis SS. satis clarè fuisse propositam, nemo est sanorum, qui negat. De Aristot. dubitatur, qui in loco non uno talem proponit doctrinam, ex qua mortalitas animæ elici posse videtur. Maximè quòd dubiam reddere videtur ejus separabilitatem à corpore. Si enim de hac non constiterit, actum erit de ejus immortalitate. Jam verò ait in *l. 1. de an. t. 12. Quòd si intelligere* (νοεῖν) *imaginatio sit quædam, aut non sit sine imaginatione, neq; intelligere sine corpore*

esse

esse potest, adeoq; intellectus à corpore non erit separabilis. Et mox *seq. tex. si operationum animæ, vel affectuum aliquis proprius sit ipsius, fieri potest, ut ipsa anima separetur. Sin verò nullus sit ejus proprius, non est separabilis.* Quò pertinet, quod habet *l. 3. de anim. c. 8. t. 39. necesse est eum, qui speculatur, unà cum phantasmate speculari. Phantasma autem non est sine sensu,* atque adeò intellectio non erit sine corporis actione. Anima igitur (intellige, rationalis) secundùm Aristot. nullam habebit operationem propriam, adeoque non erit separabilis, & ex consequente nec immortalis.

§. 8. Resp. duo: I. Aristot. *ll. dd.* non loquitur de anima absolutè, sed uti in hoc vitæ statu est conjuncta corpori. Minimè igitur vult, quòd planè nullam habeat operationem propriam, h. e. à corpore independentem; sed quòd speculatio rerum sensibilium sit à phantasmate, & à corpore pendeat. De hac enim sola operatione ll. alleg. agit, imò, accuratè loquendo, ne de hac quidem generatim procedit, sed solùm de ea, quâ quis objectum aliquod sensibile, à sensibus, mediante phantasmate, suppeditatum, intelligit. Et huc omninò pertinent ea, quæ præcedunt *d. l. 3. de an. c. 8. t. 39.* quibus ait: *Cùm nulla res sit præter magnitudines separata, ut videntur res ipsæ sensibiles, in ipsis profectò sensibilibus formis ipsæ sunt intelligibiles formæ, tùm earum rerum, quæ abstracta vocantur, tùm eorum etiam sensibilium, quæ sunt habitus atq; affectus. Idcircò & qui non sentit, nihil discere vel intelligere potest.* Jam sequuntur illa: *& qui contemplatur, cum phantasmate contemplatur,* &c.

§. 9. Resp. II. ad *lib. 1. de an. t. 12. & 13.* ibi Aristot. nihil determinat, sed dubium proponit, *de affectibus & de operationibus animæ; an omnes communes sint cum eo, quod habet animam, an verò sit ipsius animæ proprius aliquis?* Hanc, inquam, quæstionem non determinat, sed quòd necesse sit

eam determinari dicit, utpote quod necessaria sit ejus determinatio ad cognoscendam separationem & immortalitatem animæ, quam tamē determinationem difficilem esse ait. Τοῦτο γὰρ λαβεῖν μὲν ἀναγκαῖον, οὐ ῥᾴδιον δέ: h. e. *Hoc enim ipsum accipere quidem necessarium est, non tamen accipi facile potest.* Ut hoc explicet, duo dicit docetque. 1. *Si est aliqua propria operatio animæ, ipsa est separabilis à corpore;* 2. *Si nulla est propria operatio animæ, ipsa non est separabilis à corpore.*

§. 10. Hæc autem Philosophi dicta innituntur huic principio, quòd nihil est, quod non aliquam exerceat operationem; esse enim est ad operandum. Unde hæc duo petuntur: *Si potest aliquid operari absq; aliquo, potest etiam esse sine illo;* &, *si non potest operari absq; aliquo, nec potest esse sine eo.* Quæ enim in operatione se mutuò egent, ea quoque in esse se mutuò egent. Hinc 1. Si operatio animæ potest esse (& inesse) sine corpore, poterit & ipsa anima esse sine eo: 2. Si verò operatio animæ non potest esse sine corpore, nec potest anima esse sine eo, sed dissolvetur in & cum corpore.

§. 11. Dum autem Aristot. in his versatur, *per operationem propriam animæ* (intelligit autem νοῦν sive Mentem) nullam aliam vult intellectam, quàm eam, quæ nullo modô (h. e. neque ut ab objectô, neque ut ab organo,) dependet à corpore, qualis operatio est intellectio. Non igitur hîc locum habet illa animæ operatio, sive intellectio, quæ dependet à phantasmate. Si enim non aliam propriam animæ operationem intenderet Aristoteles, quàm eam, quæ dependet à phantasmate, non posset ostendere animæ separabilitatem, quia dependentia talis impediret, quò minùs posset operari separata, sicut deficiente objectô non potest esse actio. Quæ verò sint illæ operationes animæ nullo modô à corpore dependentes, neque ut ab organo, neque ut ab objecto, quod simul à sensu corporeo percipi debeat, alibi innuit, ut *l. 12. Metaph. c. 2. t. 17.* Conf. *l. 1. de an. t. 66.*

§. 12. Nec hîc intactum relinquendum, quod in *in cit. l. 1. de an. t. 12. & 13.* absconditum latet argumentum, & olim in via Aristotelis, insolubile habitum fuit, quod ita habet: si anima (nempe rationalis) non intelligit (intelligere nequit) sine imaginatione, non potest esse sine corpore, h. e. non est separabilis, adeoque nec immortalis. Atqui anima (rationalis) non intelligit (non potest intelligere) sine imaginatione, sive sine phantasmate, *l. 3. de an. t. 8. t. 29.* Er. non est immortalis. Verùm hoc argumentum nullius est valoris, & subsumtio eâdem facilitate, quâ fuit probata, negatur; siquidem omninò & reverà in doctrina Aristot. intellectio potest fieri sine phantasmate, tùm (1.) quamvis intellectus utatur, vel usus fuerit phantasmate, cum primùm intellexit, tamen, productis speciebus intelligibilibus, eas asservat, illisque utitur sine phantasmate, quod satis indicat, intellectum sine phantasmate intelligere posse, adeoque separabilem esse; tùm (2.) absolutè rem pensitando, ex *l. 1. de an. t. 66.* ubi dicitur, *intellectum esse quid divinius, & ejus operationem manere*, scilic. corruptô corpore. Sanè, si intellectus operatio, docente Aristot. post mortem manet, ea sanè erit sine phantasmate, adeoque sine imaginatione. Habebit igitur intellectus, juxta Aristot. operationem aliquam propriam atque à corpore omninò independentem, quod argumentô est, animam nostram à corpore separari posse, adeoque immortalem esse. Vel, breviter & simpliciter fiat collectio h. m. Cujus operatio manet, illud ipsum manet. Sed (dicente Aristotele) operatio intellectus manet, nimirum corruptô corpore. Er. intellectus ipse manet, corruptô scil. corpore. Et per hæc in fumum abit probatio Minoris è *l. 3. de anim. c. 8.* quia ibi non est sermo de anima absolutè, sive juxta suam naturam præcisè, sed respectivè, prout corpori suo unita est.

Articulus II.

De notitiis naturalibus, an & quatenus ejusmodi dentur?

§. 13. Quamvis in antecedentibus hoc negotium tractaverimus, & negativam monſtraverimus, tamen evidentioris dilucidationis causâ hîc repetimus. Primò quidem Ariſtotelis doctrina nota eſt. Docet is *Animam eſſe inſtar nudæ tabulæ, in qua nihil ſcriptum eſt actu, inſcribi autem poſſunt omnia*, ſcilic. cognoſcibilia, quippe cum *intellectus nihil ſit actu eorum, quæ cognoſci poſſunt, ſed potentiâ (δυνάμει) omnia, l. 3. de anim. cap. 4. & 5.* Contrà verò Scriptura S. tradit, *gentes habuiſſe legem cordibus* (h. e. mentibus) *ſuis inſcriptam, ut etiam ea, quæ legis ſunt, fecerint, Rom. 2. v. 15.* Inde datur argumentari: Quidquid ita mentibus noſtris inſcriptum eſt, ut inde à prima infantia ſeſe in nobis exerat, illud omninò à prima nativitate nobis actu eſt inſcriptum. Sed notitia boni & mali, item notitia diſcriminis inter utrumque, (quod aliàs diſcrimen honeſtorum & turpium dicitur) juxta Apoſtolum, nobis ita eſt inſcripta, ut à primâ infantiâ ſeſe in nobis exſerat. Er. notitia boni & mali &c. nobis à prima nativitate actu eſt inſcripta. Minor conſtat ex textu; *gentes ea, quæ legis ſunt, naturâ fecerunt.*

§. 14. Reſp. 1. Apoſtolus loquitur de gentibus, qui fecerunt ea, quæ legis ſunt, adeoque de adultis. Hos verò habuiſſe opus legis cordibus ſuis inſcriptum actu, non eſt contra Ariſtotelem. De anima & de intellectu loquitur Ariſtoteles, non de hominibus, & quidem adultis; naturam intellectus exponit, & quomodo ſe habeat ante intellectionem, monſtrat, non de actionibus hominum ex intellectu agentium. 2. Omninò gentes, qui ea, quæ legis ſunt, fecerunt, oſtenderunt opus legis cordibus ſuis inſcriptum; non autem

autem ſequitur inde, quòd iſtud à nativitate habuerint inſcriptum actu. Potentiâ habuerunt, neutiquàm actu. Et hoc concordat Ariſtoteli, docenti, *in anima* (ſive in intellectu ſecundùm ſe & ante omnem intellectionem) *nihil inſcriptum eſſe actu, inſcribi autem poſſe omnia*. Fundamentum eſt, in eo, quod legitur *in l. 2. gen. anim. c. 3. Omnia prius potentiâ haberi oportet, quàm actu*, quomodo *σπέρμα* (ſeu ἔγκυος σπερματικὸς) potentiâ habet animam, *d. l.* 3. *Naturâ* hîc non eſt idem ac *à nativitate* ſed notat naturale intellectus lumen, ut ſenſus ſit, gentes naturali intellectus lumine ducti, citra ſpecialem revelationem, ea, quæ legis ſunt, fecerunt.

§. 15. Reſp. 2. ad argumentationem §. anteced. factam, neg. Majorem & Minorem. Hanc ex eo, quòd Apoſtolus non loquitur de infantibus, ſive de hominibus in ætate infantili adhuc conſtitutis, ſed, uti dictum, de adultis, qui diſcernere inter bonum & malum, inter honeſtum & turpe potuerunt. Valetque hîc illud tritum: Verſtand kömt nicht für den Jahren. Et de ipſo Chriſto dicitur, quòd profecerit ſapientiâ & ætate, *Lucæ 2. ver. ult.* Major verò negatur ex eo, quòd, poſito, aliquid in nobis ſeſe exerere in infantia, non tamen ſequitur, illud ab ipſa ſtatim nativitate nobis ineſſe, aut nobis connatum eſſe. Natura non facit ſaltum. *Omnibus rebus ſuum præfinitum eſt tempus, eſtq; tempus, quid velis, aut nolis ſub cælo, Eccleſ. 3. v. 1.* eſt tempus, quo rudis es & iners, eſt quoque tempus, quo rerum gnarus ſis & ſciens.

Articulus IV.

De objecto memoriæ.

§. 16. Ariſtot. *in lib de Mem. & Reminiſc.* docet, objectum memoriæ nec præſentia eſſe, nec futura, ſed præterita. Dubium verò hîc quidam movent ex verbis S. Cœnæ, ubi Salvator ait: *hoc facite in mei commemorationem*. Eſt igitur

memoria præsentium. Christus enim in Sacra S. præsens est. Verùm uti facilis, ita brevis est responsio; hæc collectio est impertinens, nec contra Aristotelem. Loquitur enim hic *de tempore ejusq; differentiis*, uti & verba Christi allegata; argumentatio verò (quæ minimè ex verbis Christi formata est) *de loco, & de præsentia locali*, de qua ne quidem Salvator intendit. Nec enim inquit, aut intelligi vult h. m. hoc facite in *ἀνάμνησιν* mei vobis præsentis, (hoc enim à proposito erat alienum) sed mei hanc Cœnam instituentis, & hujus actionis memoriam vobis commendantis. Quotiescunque hoc facitis, h. e. quotiescunque S. hac Cœnâ utimini, toties mei meæque beneficæ institutionis recordamini. Pertinetque hæc Institutio ad ea, de quibus *Luc. 24. v. 6.* dicitur: *recordamini, sicut locutus fuit dixitq;*, quando nimirum S. Cœnam instituit, volens atque præcipiens, (*hoc facite* inquiens, *in mei recordationem*) ut hujus suæ sanctissimæ institutionis gratam habeamus memoriam, eamque veneremur, & pro ea gratias agamus.

Articulus V.

De voluntate & appetitione boni atq; mali.

§. 17. Aristotelis effatum est, *omnia appetere bonum*, *l. 1. Ethic. Nicom. c.* inde colligis: igitur & homines appetunt bonum. Contrà verò Scriptura S. *Genes. c. 6. v. 5.* ait: *Omnis imaginatio cogitationis cordis ejus tantùm mala est omni die.* Juxta Scripturam igitur nihil boni cogitat appetitve homo. Quod extremè cum dicto Apostolico pugnare videtur.


§. 18. Resp. At minimè pugnat. Etenim Aristoteles 1. non agit de homine, multò minùs de homine moraliter se habente, aut moraliter considerato; quomodo igitur Scripturæ Sacræ, quæ de homine, & quidem in statu peccati versante (de quo nihil constitit Aristoteli) loquitur, illo suo dictô

dictô contrariabitur? 2. Scriptura S. intendit de malo morali, sive de peccato, quando hominis cogitationes malas dicit, id quod isto suo dictô neutiquam negat Aristoteles. Verùm Philosopho *de nativa rerum pronitate in bonũ* sermo est, quando *omnia bonum appetere* pronunciat. Estque hoc dictum generale, tàm ex parte subjecti, *omnia* (h. e. omnes res) *appetunt*, quàm ex parte prædicati, *bonum*, quodcunque illud sit, sive, qualecunque, adeoque tàm bonum reverà, quàm apparenter tale complectitur, ut sensus sit: Omnia (sive omnes res) appetunt bonum, sive hoc in se sit bonum, adeòque reverà tale, sive alicui sit bonum, cui videatur, sive, cui appareat bonum, quamvis in se & reverà non sit bonum, sed malum, quomodo bonum appetere dicitur, qui appetit heluationes, qui appetit Venerem, &c. Verbô, qui appetit bonum utile aut jucundum, ut talia, & quæ honestô sive honestate non sint stipata vel affecta; inquam, qui talia cogitat, qui talibus inhiat, aut, quod idem est, qui talia appetit, is non nisi mala appetit. Bonum enim apparens est malum in se. Quia verò homines frequenter, imò frequentissimè talia bona, quæ nimirum tantùm apparenter bona sunt, appetunt, non nisi malum appetere dicendi sunt. Homines igitur, juxta Aristot. ita sunt intelligendi aut dicendi appetere bonum, ut etiam dicendi veniant appetere malum, quamvis Philosophus hoc implicuerit, ut d. m. ex ipsius effato eruendum sit.

Vid. Reg. Sthalii.

FINIS.

Sphalmata Typographica Benevolus Lector haut gravatè corrigat, sciatq́; thesin 76. Disputat. 2. ar. 1. in pag. 85. præcipuè quòd loca Aristot. confusè & perperàm fuerint allegata, & minùs rectè accommodata, nullo locô hàbendam, sed delendam esse. Inferiùs Disp. 7. repetuntur Aristot. loca, & legitimè allegantur.



KONSERVIERT DURCH
OSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN